This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WID-LC
DB
557 .
.K37
x

KATONA

VETVS MORAVIA

HDI
HW 8VFT 3

WID-NC
DB
557
.K37
x

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

VETVS MORAVIA, RVRSVS AD SVOS LIMITES REDVCTA,

A

STEPHANO KATONA

PRESBYTERO STRIGONIENSI.

BVDAE,

Typis Regiae Vniuerſitatis, 1789.

DS
557
K37

Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis.

S. Aug. Libr. 2. de Trin.

Si de veritate ſcandalum ſumitur; vtilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.

Id. de Lib. Arbitr.

HARVARD UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 11 1978

CAPVT I.

I. Quum meum ad Hypercritici Szklenariani praelationem reſponſum nonnulli legiſſent; meam ad tanta conuicia moderationem demirati, cur eum, qui prior laeſerit, acerbius non habuiſſem, interrogarunt. Reſpondi, furentes, ac praecipue ſine cauſſa furentes, riſu potius vel commiſeratione, quam indignatione dignos eſſe. Quum item non pauci fuiſſent, qui reliquam Hypercritici partem ſilentio transmittendam, tempusque pretioſum vtilioribus lucubrationibus dicandum eſſe, cenſerent; plures tamen, ne difficultate reſpondendi territus viderer, cetera quoque, quae testimoniis et argumentis meis obiiciuntur, conuellenda, patrociniumque veritatis ſuſcipiendum ſuaſerunt. Horum itaque votis morem geſturus, iter quidem, Agriam deſtinatum, iniui, quo quaedam ex epiſtolis Verantzianis, vaſtis quatuor voluminibus comprehenſis, indulgente magno loci praeſule, pro Ferdinandi I. rebus illuſtrandis, expererem, reditum tamen maturaui. Quare, licet Illuſtriſſimus D. Franciſcus Miklóſſy, Biduenſis epiſcopus, Agrienſis eccleſiae praepoſitus maior et canonicus, qui rara me hoſpitalitate, quam antea viſum, excepit, ad longius mihi

tempus eximia beneuolentia hoſpitium obtulerit, inchoatum tamen excerpendi laborem interrumpendum eſſe duxi, ſalutatisque circa Fülekinum meis cognatis, ad fratrem meum, Zelizienſem parochum, me recepi, vt, ferias illic natalicias exacturus, velut per ocium, aduerſarii difficultatibus, quae mihi nodis in ſcirpo conſimiles videntur, ſatisfacerem.

II. Nolim quidem ego ſuſpicari, cur aduerſarius eumdem, quem in opere priore ſibi praeſtituerat, ordinem in *Hypercritico* ſuo non obſeruauerit: ſi tamen idem hic praeſtare voluiſſet; multo facilius erat futurum lectoribus animaduertere, quot argumenta mea penitus intacta manſerint. Quicquid de hoc ſit; ſtatuit ille capite I. *a) Hungaros, Moraviam veterem ingreſſos, ad Sauum fundamenta regni Hungariae ieciſſe.* Multa quidem ille mox in limine promittit; videbunt tamen benenoli lectores, *aliquod regnum Bulgaricum, Danubio, Tibiſco et Grano circumſcriptum, omnibus* vt aſſerit, *b) ſummis, mediis et infimis geographis ignotum* non fuiſſe; nec id me *commentum* eſſe, nec *ingentes* propterea *hiſtoriae Hungaricae tenebras offudiſſe;* nec a me *ſcommata*, niſi his momenta rationum intelligat, illum *abſtuliſſe*; haec contra mihi plenis modiis ipſum admenſum fuiſſe.

III. Subinde me, iam in praefatione beatum, lautum, lauatum, in amicitiam ſuam recipit; ſed nouae huius amicitiae fructus non minus acerbos, quam antea, deinceps quoque de-

a) Hypercrit. p. I. b) Ibid. p. 2.

debimus, quos Morauia vetus, ad ſuos limites reducta, produxit. Quum ego Pannoniam, proprie dictam, iisdem omnino, quibus ille, limitibus circumſcripſiſſem; eamdem tamen, latius ſumtam, aſſerui, *nonnumquam extra limites, a Iordane deſcriptos, egredi;* ad eum fere modum, quo Noricum, itidem latius ſumtum, etiam in Pannonias extenditur. Dubium ille quidem lectoribus relinquit, *a) an bene a ſimilitudine hiſtorica facta probentur;* ſui tamen oblitus, mox, verſa pagina, hanc ſimilitudinem adhibet: *b) Certe nulla prouincia Romana non extra Italiam fuit; ita nullae prouinciae Norici non extra Noricum erant.* Ita quod mihi vitio dat, ſibi licere putat. Quod quidem cum in aliis rebus, tum in aucupio verborum, quod mihi ſaepius obiectat, ſaepius obſeruabimus. *Prouincia*, ſcribit, *eſt regio, quam populus quispiam prouicit, ſeu procul vicit.* Non tamen euicit, Agapitum ſtricto hoc ſenſu prouinciam accepiſſe, quam vocem pro *dioeceſi metropolitani*, vel etiam *epiſcopi* nonnumquam ſumi, du Freſne docet. *c)* Latine, puto, loquebamur; quum dicebamus, prouinciam Auſtriae S. I. Hungariam quoque complexam fuiſſe; neque tamen tunc prouinciam ſenſu Feſti vel Iſidori ſumſimus. Quia vero ſimilitudines aduerſarius damnat, et quoties magis premunt et vrgent, *gibberas* vocat; nullum ſit, pace mea, hoc argumentum, a ſimili ductum, in quo nec ego magnam vim repono. Superſunt alia firmiora.

a) *Ib. p. 3.* b) *Ib. p. 4.* c) *Edit. Hal. Tom. V. p. 497.*

IV. Agnoſcit aduerſarius, *a) Hungariae reges in diplomatibus ſuis appellationem Pannoniae latius extendiſſe*; ſubiicit tamen, *hanc ipſam Pannonici nominis ad terras, Danubio ſeparatas, extenſionem ante ſeculum Chriſti XI. non inchoaſſe.* Tunc vero, quod hic plenius explicat, *b) nomen Pannoniarum, quippe quod reges indidere, a quibus ius iſtud ſtabat, non ſenſu aliquo latiore, ſed proprie accipi debuit.* Quis hic vanum et violentum effugium non videt? Quis vmquam regibus hanc poteſtatem dedit, vt in lingua Latina leges etiam exteris ſibique nullo modo ſubiectis ferre poſſent, et quod antea proprie dici non poterat, proprie dici poſſe decernerent. An, ſiquis regum vellet Hungariam dici Bauariam; Hungaria proprie Bauaria dici poſſet? An ius hoc regum Hungariae Graecis innotuit ac ab iis, licet non ſubditis, agnitum receptumque fuit? Cur vero deinceps quoque Hungariam ſaepe Turciam, quin Hungariae reges id decreuerint, appellarunt? An non ille non niſi voces captat, qui Pannoniam, vltra Danubium porrectam, non improprie, ſed proprie dicendam tam violentum in modum affirmat? Mihi tamen obiicit, *c) per totum examen meum non niſi voces me captaſſe.* Vtique voces etiam, quibus res, ſolidis argumentis materiem ſuppeditantes, exprimuntur.

V. Pannoniam interdum latius ſumtam fuiſſe, his ego Cedreni verbis oſtendi: *Incolunt* (Patzinacitae) *trans Iſtrum planities, a Boryſthene fluuio ad Pannoniam vsque porrectas.* Quum enim certum ſit, Patzinacitas numquam ad Danubium

a) Moran. praef. b) Hypercrit. p. 4. b) Ibid. p. 5.

debimus, quos Morauia vetus, ad ſuos limites reducta, produxit. Quum ego Pannoniam, proprie dictam, iisdem omnino, quibus ille, limitibus circumſcripſiſſem ; eamdem tamen, latius ſumtam, aſſerui, *nonnunquam extra limites, a Iordane deſcriptos, egredi* ; ad eum fere modum, quo Noricum, itidem latius ſumtum, etiam in Pannonias extenditur. Dubium ille quidem lectoribus relinquit, *a) an bene a ſimilitudine hiſtorica facta probentur* ; ſui tamen oblitus, mox, verſa pagina, hanc ſimilitudinem adhibet: *b) Certe nulla prouincia Romana non extra Italiam fuit ; ita nullae prouinciae Norici non extra Noricum erant.* Ita quod mihi vitio dat, ſibi licere putat. Quod quidem cum in aliis rebus, tum in aucupio verborum, quod mihi ſaepius obiectat, ſaepius obſeruabimus. *Prouincia*, ſcribit, *eſt regio, quam populus quispiam prouicit, ſeu procul vicit.* Non tamen propterea dici poteſt, quod ille dicit, *nullam prouinciam Romanam non extra Italiam fuiſſe.* Quis enim ignorat, multas intra ipſam Italiam prouincias populum Romanum prouiciſſe ? Nec eae tam procul Roma, quam Noricum a Pannonia, diſtabant. Sicut igitur omnes hae prouinciae, licet antea propriis nominibus gauiſae, deinde tamen Italiae, quae proprie ſumta tam late non patuit, nomine veniebant ; ita Noricum, latius ſumtum, appellationem ſuam etiam ad Pannonias extendebat, vt ex Agapiti litteris apparet.

IV. Agnoſcit aduerſarius, *c) Hungariae reges in diplomatibus ſuis appellationem Pannoniae latius*

a) Ib. p. 3. b) Ib. p. 4. c) Morau. praef.

tendiſſe; ſubiicit tamen, *hanc ipſam Pannonici nominis ad terras, Danubio ſeparatas, extenſionem ante ſeculum Chriſti XI. non inchoaſſe.* Tunc vero, quod hic plenius explicat, *a) nomen Pannoniarum, quippe quod reges indidere, a quibus ius iſtud ſtabat, non ſenſu aliquo latiore, ſed proprie accipi debuit.* Quis hic vanum et violentum effugium non videt? Quis vmquam regibus hanc poteſtatem dedit, vt in lingua Latina leges etiam exteris ſibique nullo modo ſubiectis ferre poſſent, et quod antea proprie dici non poterat, proprie dici poſſe decernerent. An, ſiquis regum vellet Hungariam dici Bauariam; Hungaria proprie Bauaria dici poſſet? An ius hoc regum Hungariae Graecis innotuit ac ab iis, licet non ſubditis, agnitum receptumque fuit? Cur vero deinceps quoque Hungariam ſaepe Turciam, quin Hungariae reges id decreuerint, appellarunt? An non ille nonniſi voces captat, qui Pannoniam, vltra Danubium porrectam, non improprie, ſed proprie dicendam tam violentum in modum affirmat? Mihi tamen obiicit, *b) per totum examen meum nonniſi voces me captaſſe.* Vtique voces etiam, quibus res, ſolidis argumentis materiem ſuppeditantes, exprimuntur.

V. Pannoniam interdum latius ſumtam fuiſſe, his ego Cedreni verbis oſtendi: *Incolunt* (Patzinacitae) *trans Iſtrum planities, a Boryſthene fluuio ad Pannoniam vsque porrectas.* Quum enim certum ſit, Patzinacitas numquam ad Danubium

vs-

a) Hypercrit. p. 4. b) Ibid. p. 5.

vsque, qui Pannoniae, proprie dictae, limes erat, porrectos fuiſſe; arguebam, Pannoniam, ad quam illae planities porrigebantur, latiore ſenſu, non proprio, ſumi. Hoc ille ratiocinium *inane rerum* oſtendere conatur ex his Cedreni verbis, quae mihi nihil probare videbantur, additis: a) *Incertis errantes ſedibus ſemperque in tabernaculis degentes.* Ex quibus infert, *Cedrenum planities, non Patzinacitas, quos incertis errare ſedibus dicit, ad Danubium vsque porrectos eſſe, narrare.* Parum id refert. Nam, ſi dicam ego, Pannones incolere cis Iſtrum planities, a Danubio fluuio ad montem vsque Cetium porrectas; non tantum planities, ſed etiam Pannones ad montem vsque Cetium porrectos eſſe dicar inuere. Quare, licet planities et Patzinacitae, vel in exemplo meo planities et Pannones, idem mihi non ſint; ſi tamen Patzinacitae vel Pannones easdem planities, ad Danubium vel montem Cetium porrectas, incolant; ſiue iam iidem in eadem planitie *ſedibus incertis errent*, ambulatoriasque ſuas domos ſeu tentoria ſecum circumferant ac in tabernaculis degant, ſiue domos fixas in eadem planitie habeant; idem Patzinacitarum vel Pannonum, qui planitiei, limes erit. Quos vero Patzinacitas *ſaepius Iſtrum traieciſſe ac in paludes Iſtro vicinas ſe ſubduxiſſe*, Cedrenus dicit; iidem *incolere trans Iſtrum planities* dici non poſſunt; *ſi cis Iſtrum et trans Iſtrum* idem non ſunt. Videſne iam, beneuole lector, argumentationi meae *praeter voces* aliquid ineſſe, contra quam aduerſarius velit.

a) *Ibid. p.* 6.

VI. At ille Cedreni teſtimonium, quo tamen hic vſus eſt, non recipit; *meque ſyſtematis ſui fundamenta, quae impugnanda ſuſcepi, non intellexiſſe*, arguit. a) *Quid?* inquit, *non ego te docui in praefatione, reges Hungariae in diplomatibus ſuis appellationem Pannoniae latius extendiſſe?* — Vidiſti, lector, an ſolide docuerit, an perſuaſerit. Sicut arbitrarium eſt, aſſerere, Hungariae reges hanc legem ſcriptoribus impoſuiſſe, vt *Pannoniam pro tota Hungaria accipere non tantum potuerint, ſed etiam debuerint*; ita ridiculum eſt, aſſerere, b) *ante ſeculum XI. neminem vnum regum, neminem ducum*, (noſtrorum ſcilicet) *neminem domeſticorum ſcriptorum Pannoniam pro circumfluis Tibiſcum Vagumque oris accepiſſe*; quum neminis horum ad nos ſcripta peruenerint. De ſcriptoribus exteris paullo poſt viderimus. Criminatur ille quidem, hoc ſuum *fundamentum a me nusquam memoratum*; calumniatur, *etiam ignoratum*; gloriatur *numquam ſubruendum; quia ne tactum quidem.* Quorſum igitur pertinet teſtimonium Reginonis, a me productum; quod paullo poſt videbimus? Sed nempe hoc audacter peraeque dictum eſt; ac illud: c) *Anonymus Pannoniam pro tota Hungaria numquam accepit.* Si vel curſim anonymum lector inſpexerit; plura huiusmodi loca reperiet. An non enim inter cetera Pannoniam cum Tibiſcana Hungaria confundit, quum Cap. XI. ſcribit: *Sic Annum ducem et ſuos nobiles rogare coeperunt, vt vltra Hoios verſus occidentem in terram Pannoniae de-*

a) *Ibid. p. 7.* b) *Ibid. p. 8.* c) *Ibid. p. 9.*

deſcenderent? An poſt *Hovos* mox Pannonia ſequitur?

VII. Quum idemtidem quaerat ac vrgeat, *an aliquis ſeu patriorum, ſeu exterorum ſcriptorum, qui ante ſeculum XI. vixerunt, Pannoniam pro tota Hungaria acceperint*, idque dicat ſuum eſſe fundamentum, a me *ſeu non intellectum, ſeu diſſimulatum;* obſecro lectores aequos, inſpiciant laudatum Reginonis, ante ſeculum XI. ſcribentis, teſtimonium, et iudicent, an recte dicar, hoc eius fundamentum *nusquam memoraſſe, non tetigiſſe, vel non intellexiſſe, vel diſſimulaſſe.* Si teſtimonium Reginonis ad rem non erat; dici poteram, hoc fundamentum *non ſubruiſſe;* ſed non memoraſſe, non tetigiſſe, non intellexiſſe, diſſimulaſſe, qua veritate dici poteram? Ita vero laudatus Regino ſcribit ad annum 889. *Gens Hungarorum ferociſſima, -- a Scythicis regnis -- egreſſa, -- Primo quidem Pannoniorum et Auarum ſolitudines pererrauit, Deinde Carantanorum, Marahenſium ac Bulgarorum fines irrupit.* Hic aduerſarius aſſerit, a) ſe *voculam non inuenire, ex qua latiores aliquas, quam in praefatione deſcripſit, extendere poſſit Pannonias.* Ego vero voculam Primo tanti ponderis eſſe cenſeo, vt ad Pannonias latius extendendas illum inprimis cogat, qui Morauiam veterem non tantum per Maeſias et Pannonias fundit, ſed etiam in Daciam et terras Iazigum Metanaſtarum extendit. Nam, quomodo Hungari, Scythicis regnis egreſſi, Primo Pannoniorum, Deinde

a) *Ibid. p.* 10.

inde Marahenſium regionem attingere potuerunt; ſi Pannonia, hic ſtrictius accepta, non vltra Danubium excurrit; ſi Marahania regionem Iazigum, Daciam et Maeſias reipſa comprehendit? Qua via poterant Primo Pannoniam cis Danubium, Deinde Marahaniam trans Danubium pererrare? *Tortuoſum* hoc ille ratiocinium non immerito vocat, quum illum non leuiter torqueat.

VIII. Nec illum Maeſia iuuat, in quam Pannonias extendit *a*) et nomina regionum pro lubitu confundit. Nam etſi non diffitear, alibi Pannoniam vltra Sauum extendi; nondum tamen ille docuit, eamdem longius in Maeſiam immitti. Sed dato hoc, quomodo vel illam Pannoniam, quae trans Sauum conſtituitur, prius Hungari, quam Marahaniam, ſeu penetrare, ſeu pererrare poterant? ſi hanc illi Pannoniam prius pererrarunt, quam fines Marahenſium irrupiſſent; non eodem loco Pannonia, quo Marahania fuit. Atqui, *ſi Pannoniorum ſolitudines*, vt aduerſarius vult, *cum Regione vltra Sauum in Maeſias extendebantur*, eodem loco tam Pannonia, quam Marahania, quam itidem in Maeſiam ille fundit, erat. Vel igitur Hungari non Primo Pannoniorum ſolitudines, Deinde Marahenſium fines percurſarunt, ſecus ac Regino, teſtis ſynchronus, perhibeat; vel aduerſarius male Marahaniam in Maeſiam immiſit, ad quam hic etiam Pannoniam extendit. Vtrumuis dicat; grauiter errat: ac in Scyllam incidit; dum Charybdim vitare voluit. Quam bene

a) *Ibid. p.* 11.

ne Seneca *magnam esse vim veritatis*, dixit, *quae contra omnium ingenia, calliditatem, sollertiam et contra fictas hominum insidias, facile se per seipsam defendit.* Sed, etsi Cicero quoque censeat, *interdum ita perspicuam esse veritatem, vt eam infirmare nulla res possit; interdum tamen*, ait, *esse adhibendam vim veritati, vt eruatur.* Quod hoc loco factum esse, nemo non videt. Quare non sine caussa scripsi, *a*) hanc Reginonis sententiam crucem aduersario, *qui Marahensium fines in Maesiam vsque porrigit, eoque prius, quam in Pannoniam, Hungaros inducit, figere; nisi Pannoniorum solitudinem ab hoc ineuntis seculi X. scriptore latius acceptam fuisse concesserit.* Haec ille legit, in suum Hypercriticon intulit; *b*) praecipuum tamen suum de Pannonia latius ante seculum XI. non accepta *fundamentum, a me nusquam memoratum, — etiam ignoratum; proin nunquam subrutum, quia ne tactum quidem*, audacter asserit. *c*) Quam vere hoc dictum sit; aequus lector videt. Quod Auarum solitudines non attigerim, obiicit. *d*) At, quid opus erat attingere, quando hae tam cis, quam trans Danubium erant? Et nonne de Pannoniorum dumtaxat, non Auarum solitudinibus quaestio fuit? Et tamen ille, *videsne*, iactat, *e*) *primum meum fundamentum firmissimum esse*? Video certe, tam infirmum, vt huic innixum aedificium necessario corruere debeat.

IX.

---

a) *Exam. p.* 4. *b*) *Hyp. p.* 10. *c*) *Ibid. p.* 8. *d*) *Ib. p.* 11. *e*) *Ibid. p.* 12.

IX. Primus ille *humanitatis* profeſſor *obganire* me quaedam ex annaliſta Metenſi, qui cum Reginone conſpirat, dicit, mihique *taedium* obiicit, *a*) quod mihi ſaepius obrepſiſſe fateor, non tam argumenta ſoluendi, quam ſcribendi difficultate victo. Quum enim plures de Morauia, Bulgariae vicina, difficultates obmouere potuiſſem; cur id facere noluerim, paucis hiſce verbis inſinuaui: *b*) *Minutiora, quibus contenditur, Moravanos Bulgaris vicinos fuiſſe, quia nec ego dixi vel dico, longius eosdem ab inuicem diſiunctos habitaſſe; ſubruto praecipuo contrariae ſententiae fundamento, ſi entio tranſmitto.* Quomodo praecipuum illud contrariae ſententiae fundamentum, ex Porphyrogenito petitum, ſubruerim; eodem ſcribendi taedio victus, lectores ad ea, quae iam alias ſcripſeram, *c*) remitto. Videbunt, ſubruto hoc fundamento, parum ponderis ineſſe his Conſtantini verbis: *Quaeque ſupererat multitudo* (Moravorum) *diſſipata, confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, Turcos, Chrobatos et ad reliquas nationes.* Quae qui conciliare cum aliis eiusdem Conſtantini ſententiis, ibidem excitatis, voluerit; vocem *finitimas* latius ſumere debebit, dicereque, quod et ego dixi, Morauos a Bulgaris non longe diſiunctos, licet non prorſus conterminos, fuiſſe. Certe, ſi haec Conſtantini verba ſtricto ſenſu ſumantur; ſequetur, Morauos a Turcis ad Turcos confugiſſe. Non eſt igitur, cur me hic aduerſarius tot quaeſtionibus vrgeat, poſtquam

a) *Ibid. p.* 3. *b*) *Exam. p.* 33. *c*) *Ibid. p.* 26.-33.

quam ad argumenta, quibus praecipuum eius ſyſtematis fundamentum ſubrui, tacet.

X. At in annaliſta Metenſi maiores mihi pedicas nectit, quibus in hunc modum irretire me conatur: *a*) *Hic teipſum, Katona, confodis. Si auctor hic omnia vna ſerie confundit; cur ex eius ordine verborum, Hungaros primum Pannoniorum ſolitudines, deinde Marahenſium fines incurſaſſe, contra me argutaris?* Facilis eſt reſponſio. Annaliſta Metenſis, dum, quae Hungari pluribus annis geſſerant, ad annum 889. vna ſerie narrat, annos certe confundit; ordinem tamen rerum, ab iisdem geſtarum, accurate ſeruat, argumentumque firmiſſimum contra commentitiam Suatoplugi potentiam ſuppeditat. Neque *caecutiui*, quum ex ordine verborum, vt oggeritur, *b*) *inter Caranthanorum et Bulgarorum regiones mediam interiacere Marahenſium regionem* non vidi. Non enim annaliſta particulas *primo*, *deinde* hic adhibet, vt prius adhibuit. Et licet adhiberet ac diceret: Primo *Caranthanorum*; Deinde *Marahenſium*; Demum *Bulgarorum fines crebris impulſionum infeſtationibus incurſant*; hinc tamen non ſequeretur, *inter Caranthanorum & Bulgarorum regiones mediam interiacere Marahenſium regionem*; ſed tantum medio loco fuiſſe vexatam incurſione. Nec enim incurſio, ſeruato regionum ordine, ſuſcipi debebat, vt nouimus, Hungaros in Italiae, Germaniae, Galliae prouinciis incurſandis hunc regionum ordinem non ſeruaſſe. Quid autem in his omnibus

ſuos

a) *Hypercr. p.* 14. *b*) *Ibid. p.* 15.

ſuos in annos digerendis in hiſtoria ducum praeſtiterim; an eumdem vbique, quem Cl. Praius, ordinem ſequutus fuerim; an hunc, an alios fontes, vbi neceſſe fuit, non coronauerim; an anonymi Belae notarii narrationem cum aliis auctoribus rite conciliauerim; an aerem tantum, haec faciendo, verberauerim, vt aduerſarius criminatur, aequi lectores arbitrentur.

XI. Quum annaliſtae Metenſis auctoritate magis preſſus fuiſſet, quam vt obiectis difficultatibus explicare ſe potuiſſet; ad vſitatum ſibi remedium confugit: argumentum illud firmiſſimum *ex aucupio verborum contextum* eſſe dixit: a) *quaedam annaliſtae verba, quaedam ipſi me demſiſſe*, ſcripſit. Quam vana haec ſint effugia, videamus. Quoties ex verbis verborumque ſenſu firmum ducitur argumentum; id nudum verborum aucupium dici non poteſt, niſi velimus omnes ratiocinationes, e verbis ſenſuque verborum erutas, aucupia verborum appellare. Iam vero, quale hoc meum eſt argumentum, ex verbis annaliſtae laudati, depromtum? *Annaliſtae Metenſis fide, Hungari primum Pannoniorum ſolitudines pererrauerunt. Non igitur in Maeſiam, vbi tu Marahenſium fines conſtituis; ſed in Pannoniam, ſecus ac tu velis, Hungari primum incurriſſent.* Dicit ille quidem hoc argumentum eſſe *futile*; ſed quam firmum ſit, ex his ipſius verbis elici certo poteſt: *Vnum verbum tandem meum cepiſti: Hungari Prius in Pannoniorum, quam Auarum ſolitudines venerunt.* Hunga-

a) *Ibid. p. 16.*

garos prius in Pannoniorum ſolitudines, quam in Marahenſium fines veniſſe dixi. Solitudinis Auarum, de quibus quaeſtio nulla fuit, non memini. Voculam igitur illam *prius* non hic, ſed ibi cepi, quae tantam vim habet ad primum nouitii ſyſtematis fundamentum euertendum, vt, etiamſi *non in Maeſia, ſed in parte Maeſiae et parte Pannoniae Marahenſium fines conſtituantur;* Hungari tamen, ſi hanc Maeſiae partem, vbi ſimul Pannonia, ſimul Marahania fuit, incurſarunt; non *prius* Pannoniorum ſolitudines, *deinde* Marahenſium fines, vt annaliſta Metenſis cum Reginone tradit, incurſare potuerint. En, quantum aedificium contemtae huius voculae *prius* aucupium euertit! *Quid*, inquit, hoc *ad rem facit*? Hoc facit, vt, niſi quis in difficultates ineluctabiles induere ſe velit, Reginonem et annaliſtam Metenſem de Pannonia latius ſumta debeat interpretari, proinde primum aduerſarii fundamentum neceſſe ſit collabi.

XII. Alterum ſyſtematis ſui fundamentum aduerſarius in hac quaeſtione reponit: *a) An Hungari, poſt vltimam a Pacinacitis acceptam cladem, deſerta regione Atelcuſu, ad nouas ſedes progreſſi, Danubium traiecerunt?* Nemo negat, illos Danubium traieciſſe. Id tamen non illico poſt cladem a Patzinacitis acceptam, factum eſſe, patet ex Porphyrogenito, qui cladis huius tempus ita conſignauit: *b) Venientes autem* (Patzinacitae) *in terram, quam nunc incolunt, inuentisque illic Turcis incolis, parato bello, hos deuicerunt; eiectos per-*

a) Ibid. p. 17. *b) De adm. imp. c.* 38.

perſequuti ſunt, laremque in ea regione poſuerunt quam et obnoxiam tenent annis iam hodie, vt dix mus, 55. Scripſit. haec Conſtantinus anno 95 a quo ſi ſubducamus annos 55, deducimur ad a num 895. ad quem etiam annales Fuldenſes Metenſes cladem Hungarorum narrant. Hoc t men eodem anno Hungaros magnam Morauia nondum ingreſſos fuiſſe, haec eiusdem Conſtanti verba docent: *a) Poſt huius Sphendoploci morte anno vno in pace exacto, orto deinde diſſidio et be lo ciuili, inuadentes Turcae funditus eos exſtirpa runt, regionemque eorum occuparunt, quam in hu diernam vsque diem incolunt.* Mortuum eſſe Suato plugum anno 894. Metenſes ac Fuldenſes anna les cum Reginone teſtantur. Annus igitur ſequen 895. in pace tranſactus eſt. Anno vero 896. ci uile bellum, inter Suatoplugi filios exortum, op portunitatem Hungaris obtulit, vt eorum regionen occuparent, *quam*, inquit Porphyrogenitus, *a hodiernam vsque diem incolunt.* Atqui Maeſiam dum haec Conſtantinus ſcriberet, Hungari no incoluerunt; a Patzinacitis igitur pulſi hanc regi nem non occuparunt; nec Auarum ſolitudines de quibus aduerſarius tantopere ſollicitus eſt, lic eſſe potuerunt.

XIII. Atque hinc apparet, quam ille va iactet, *b) Auarum ſolitudines ad Maeſias per nuiſſe; Pannonias, pro oris ſeu Vagans, ſeu T biſcanis acceptas, ignotas orbi fuiſſe;* — hoc *pr mum ſuum fundamentum a nec nunquam refutatu eſſe;*

a) Ibid. Cap. 41. *b) Hypercr. p.* 18.

esse; tenebras meas a se dissipatas &c. Nec ex verbis annalistae Metensis rite hoc argumentum informat: *a) In illis solitudinibus profligatos a Pacinacitis Hungaros oberrasse oportuit, ex quibus subinde Carantanorum, Marahensium et Bulgarum fines hostilem in modum vexare poterant.* Si Metensis assereret, Hungaros eas solitudines deinceps quoque semper retinuisse; hoc tandem admitti posset, non tamen deberet. Incursiones enim in eorum populorum fines non tantum ex Pannoniae Sauiae Maesiaeque locis, sed etiam ex ipsa Pannonia, iam ante has incursiones occupata, tam facile suscipi poterant, quam postea non tantum in has viciniores, sed etiam in remotiores Italiae, Galliae, Germaniae regiones suscepta fuerunt. An autem in Vngensem arcem, quod mihi saepe leuiter oggerit, ita Hungaros incluserim, vt inde sedes suas ad alias regni plagas non protulerint, qui mea legerint, luce clarius videbunt.

XIV. Vt vero Pannoniorum et Auarum solitudines, quae primum eius fundamentum subruunt, in Pannonia Maesiaque tueri certius possit; negat, *b) intra 7. annorum spatium Pannoniam*, postquam a Suatoplugo vastata fuit, *hominibus impletam fuisse.* Si hoc nec *Iudaeus Apella* credere possit, vt inquit; Pannoniorum solitudines extra Pannoniam, proprie sumtam, erunt collocandae, contra quam ille velit. Quum enim Hungari, post vltimam cladem, a Patzinacitis acceptam, nouas sedes quaesiuerunt, teste Constantino, *magnam*

a) Ibid. p. 19. b) Ibid. p. 20.

Moraniam ingreſſi, incolas eius expulerunt. Vel igitur Pannoniorum ſolitudines, quas Hungari poſt eam cladem petierunt, extra Pannoniam proprie ſumtam erant, vel Pannonia, poſtquam a Suatoplugo vaſtata fuit, *ad aduentum vsque Hungarorum in triſti ſolitudine non iacuit.* Nec Auarum ſolitudines, quas iterum obiicit, aduerſarii cauſſam iuuant, ſed potius infirmant, vt iam ſupra vidimus. Quare hae quidem ſolitudines facilius ad Vagum vel Munkatſinum fuiſſe finguntur, quam in Maeſia; faciliusque cum annaliſta Metenſi Belae notarius, quam hic aduerſarius, conciliabitur. Nec enim annaliſta hic *Maeſiae Danubiique traiecti meminit.* Solitudines vero, quarum ille meminit, ad venatus et piſcationes, quibus primum Hungari vitam ſuſtentabant, aptiores erant, quam loca frequentata. Poſtquam autem ex aliis locis ampla Hungari ſpolia retulerunt, ſplendida quoque conuiuia celebrari poterant. Ceterum, dum annaliſta Metenſis ſolitudines, vbicumque collocentur, commemorat; eas penitus vacuas fuiſſe, non affirmat.

XV. Argumentum, quod ex Aquileienſi chronico de Friderico patriarcha produxit aduerſarius, non eſt, cur obiiciat, *a) me non infregiſſe.* Quum enim Cl. Praius duplicem epocham Friderici patriarchae conſtituat; ex eius quidem ſententia firmum argumentum erui non poteſt. Si tamen poſterior ſequenda videatur; ea, quae N. XCVII. produxi, non *bubulcimanis*, vt primus

ille

a) *Ibid. p.* 21.

ille *humanitatis* profeſſor ait, *a*) ſed *ratiocinantis* animaduerſiones erunt. Quum autem Aſſemani tam in hiſtoria critica, quam in examine meminerim; neſcio, qua fide dicatur: *Aſſemanum — ne auſus es quidem commemorare.* Certe, licet eiusdem ſententiam admitteremus; quomodo tamen haec epocha cum anonymo Belae notario conciliari poſſit; adeoque quam infirmum ſit argumentum, ex eodem ſumtum, in examine meo N. XCVII. docui.

XVI. Paullo poſt idem primus *humanitatis* profeſſor impoſtorem me facit; quum ita de me ſcribit: *Inferius, nempe pag.* 156. *lectoribus egregie imponis, quum dicis* „ Brazlauonem Arnulfi man„ datum accepiſſe, bello iam cum Suatoplugo „ confecto. „ *Vellem, ſi cui lectorum vacat, vt meos teſtes, quos annaliſtae Fuldenſi praemiſi, conferant cum his dictis.* Id et ego volo, quin etiam rogo lectores aequos, vt illa teſtimonia cum his dictis conferant. Et, ſi legerint, bellum Arnulfi contra Zuentibaldum *ad annum* 892. mandatum autem Arnulfi, de tuenda cum vrbe Paludarum Pannonia, Brazlauoni datum, *ad annum* 895. defigi; iudicent, an lectoribus impoſuerim, quum dixi, *Brazlauonem Arnulfi mandatum accepiſſe, bello iam cum Suatoplugo confecto.* An Suatoplugus, iam *anno* 894. mortuus, bellum cum Arnulfo gerere potuit *anno* 895. quo Brazlauo mandatum illud accepit? An non igitur prius bellum illud confici, quam mandatum dari debuit? Et tamen ego

a) *Ibid. p.* 22.

lectoribus egregie impono, quum id affero. *Palpabunt ſane*, ita porro humaniſſimus aduerſarius calumniatur, *a) manifeſtas tuas a veritate diſceſſiones; nec deſinent mirari, te, veritatem profeſſum, falſidicis his falſimoniis examen tuum commaculaſſe.* Huic tam acerbae criſi cauſam dedi, quod non dixerim, Suatoplugum poſt mortem ſuam cum Arnulfo bellum geſſiſſe. Pari humanitate poſtea me docet fundamentum ſui ſyſtematis, vt oſtendat, Hungaris, in Pannoniam tranſituris, Danubium *inſuperabili neceſſitate* ſuperandum fuiſſe, quod numquam in dubium vocaui. De tempore dumtaxat, quo Pannoniam ingreſſi fuerint, quaeſtio moueri potuit. Id vero non illico poſt cladem vltimam, a Patzinacitis acceptam, factum fuiſſe, claris Conſtantini teſtimoniis ſupra iam oſtendi. Quicquid igitur aduerſarius ad me docendum in fine §. IV. in pugnum contrahit, ad rem omnino non facit, et alterum hoc ſui ſyſtematis fundamentum, non ſecus ac primum, non in firmo ſolo, ſed in arena dumtaxat exſtruxit.

XVII. De tranſitu Danubii plures ego difficultates aduerſario, veluti per iocum, obieci, quas ille qua fide retulerit, videamus. *Dicebas*, inquit, *b) Hungaros poſt cladem, a Patzinacitis acceptam, Danubium tranſire non potuiſſe. Quare? Quia primo non commemorant hoc hiſtorici, qui Hungaros poſt hanc cladem Moraviam magnam ingreſſos ſcribunt. Secundo, quia Hungari poſt hanc cladem nec ligna, nec naues, nec etiam alas, e*

a) *Ibid. p.* 23. b) *Ibid. p.* 24.

plumis et cera compactas et manibus aptatas, ad transuolandum habebant. Tertio; quia Danubius, qui victis traiiciendus erat, nonnihil maior fluuius est, quam Tirnaua, Tfermel, Gyöngyös; fugientibus autem Hungaris hostes institissent; et ad ripam huius magni fluminis volentes transire Hungaros Suatoplugus nunquam admisisset. Quarto; quia, si Hungari, eluso hoste, Danubium nihilominus superassent; sedes suas necessario in Maesia ponere, et has ad aetatem hanc constanter retinere debuissent. Vt fides huius auctoris lectoribus pateat; cogor iterum cum taedio mea huc transscribere, quae sic habent: a) *Tum vero contendis, Hungaros* „ desertis septemtrionalibus Danubii ripis terrisque „ in meridionalem eiusdem fluminis partem, — „ inque regiones, Daciae oppositas, superato Da- „ nubio, transscendisse, terrasque Pannoniae fi- „ nitimas, quas nunc forte Seruia occupat, inun- „ dasse. „ *Lentius*, his ego subieci, *lentius, obsecro, festina: breuem Hungaris moram ad tam periculosum iter indulge: noli caece tantum populum et exercitum in Danubium impellere! Mihi quidem, ne tantam multitudinem, inclitae nationis Hungaricae conditricem, manifesto discrimini committamus, necessarium esse videtur, vt prius iter et transitum exploremus. Danubius enim nonnihil maior est, quam fluuii Tirnaua, Tfermel, Gyöngyös: et nondum Hungari habent alas, e plumis et cera compactas, ad transuolandum suis humeris vel manibus affixas et aptatas. Tantisper igitur exspectemus,*

a) *Exam. p.* 151.

vt ad tantum flumen traiicendum neceſſarias ſibi vel alas, vel naues inſtruant. Quidſi Suatoplugus in Seruia, ceu ditione ſua, quam Hungari petunt, cum armatis copiis paratus excubat, vt ſuam Morauiam, in Maeſia poſitam, contra nouos hoſtes defendat? - - Scitum eſt, quantae ſit artis et diſcriminis, fluuium etiam mediocrem in conſpectu hoſtium traiicere. Nihil hoc officit, inquies; ſcitum enim itidem eſt, hoſtes eludi poſſe, tranſitum alibi ſimulando. Sed, vbi ſimulabunt? Maeſiam inferiorem obtinent Bulgari, a quibus pelluntur. An ad illos fugient, quos fugiunt? Vtraque Maeſia diligenter ab hoſtibus cuſtoditur. Sed, quicquid ſit; Hungaris Danubius eſt traiiciendus. Induciae nullae dantur. – Poſt haec eiusdem auctoris ludicram de catenis amplificationem imitatione ludicra ſic exprimo: *a) Vnde tot Arpado naues? Quando tantum et vbi locorum exſtruxit nauium numerum, vt omnibus Hungaris, ex Scythia ſecum eductis, per Danubium traiiciendis ſuffecerit?* - - Denique ſubiicio: *b) Verum, neque his tu difficultatibus moueris. Nulla cura tantae nationis conſeruandae tangeris. Viderint Hungari, ſeu natent, ſeu volent; tranſire debent.* „ Iſtud, *inquis*, extra dubitationem ponit „ Conſtantinus Porphyrogenitus, ab his rebus „ tam exiguo temporum ſpatio remotus, vt in„ gentem fumum, e fatali regni Marahanici in„ cendio ſurgentem, prope oculis ſpectaret. „ *Quanta motiua credibilitatis? Ergo denique Hungari Danubium transmiſerunt: victis Bulgari non in-*

a) Ibid. p. 152. b) Ibid. p. 153.

mſtiterunt: Marahanenſes rebus ſuis indormiuerunt: tantae multitudinis ad ſe tranſitum ocioſis oculis ſpexerunt. – Hic vides, lector, aliqua ioco, nonnulla ſerio dici. Sed neque ioco, neque ſerio dicitur, quod a me primum aduerſarius ſibi fingit obiici: *Quia primo non commemorant hoc hiſtorici.* Quare bene quidem ille dicit; *a) primum argumentum nullum eſſe*, quod illud nusquam oppoſuerim; immo nec opponere potuerim, quum Porphyrogenitum, licet male, pro ſe laudauerit; male tamen eruditionis cauſſa de argumento *negatiuo* diſputat ac aerem duntaxat verberat.

XVIII. Quum ad alterum argumentum, itidem eruditionis oſtentandae gratia, *b) modos, quibus populi Scytharum in tranandis ingentibus fluminibus vtebantur*, ad me iuuandum enumerat; gratias quidem illi pro hac opera, tam promte mihi praeſtita, dico; hac tamen opus non habui, qui hos omnes modos prius, quam doctor iſte, legi; nouique, milites quidem pellibus, quae paleis implebantur, flumina traiicere potuiſſe; quomodo tamen id pueri, feminae, ſenes decrepiti facere potuerint, non noui. An etiam hi, more Scytharum, equinas caudas prehenderunt *Iſtrique vaſtum pelagus tranarunt?* Deinde me reprehendit, *c)* quod Dandulum *peſſime correxerim.* Quem tamen ego non tam correxi, quam per coniecturam explicui, ſic eius ſententiam in hiſtoria ducum p. 240. referendo: *Venetias introgreſſi cum equis et pelliceis nauibus* (fortaſſis vtribus) – Quum

a) Hyperer. p. 25. b) Ibid. p. 26. c) Ibid. p. 27.

quis in hunc modum obſcuram alterius vocem notiore vocabulo per coniecturam explicat, quod cuiuis ſcriptori liberum adhuc erat; an illum corrigit? Et tamen ita per calumniam aduerſarius quaerit: *Eſtne fas tibi, ſi quidpiam non aſſequaris, illicet ſcriptorum verba corrigere? Vtinam*, ſubiicit, *a) in hoc monitum RR. Koller ſequerere!* Vtinam, qui hoc optat, exemplum eruditiſſimi huius viri ſequeretur et candorem imitaretur, qui quod minus caute contra me ſcripſit, palam retractare non erubuit.

XIX. Poſtquam aduerſarius alios quoque modos Danubium traiiciendi, non tamen ſine lignis, recenſuiſſet; ita mihi demum inſultat: *I iam, amice Katona, quaere, quomodo Hungari Danubium traiecerint, quum ligna nauibus conficiendis non habuerint.* Nusquam ego ligna nauibus conficiendis defuiſſe negaui. Hoc dumtaxat in imitatione ludicra quaeſiui: *An, durante demum pugna, ſectores in ſiluas dimiſere pro deiiciendis et in naues compaginandis arboribus?* Quae rurſus iſta fides? Et tamen *tironibus hiſtoriarum patentiſſimo ore ridendus* exponor. *b)* Quis huuc agendi modum cum Chriſtianis legibus conciliet? Non minus contra has peccatum eſt, quum indigne traducor propter vocis *tulbou* hanc explicationem, in hiſt. duc. p. 60. propoſitam: *Niſi per anonymi* tulbou *noſtrum* talphajó, *ſeu rates intelligantur; quid ea vox ſibi velit, mihi prorſus incertum eſt.* Poteramne cautius meam mentem aperire? Certi nihil affirmo: ſolam con-

a) Ibid. p. 28. *b) Ibid. p.* 29.

coniecturam insinuo: nec eam aliis obtrudo: contentus anonymum explicare, qui licet *per deserta loca* Hungaros traducat; nusquam tamen affirmat, nullas ibi siluas fuisse. Quare sine ratione dicuntur Hungari *a*) *rates secum baiulasse per vias, vt fluuium Etyl transnatare potuerint:* sine ratione dicor *enixe quaesiuisse, vbinam Hungari ligna, nauibus seruitura, et quanam in silua ceciderint.* Haec quaestio non in meo, sed in aduersarii cerebro nata fuit, qui nihil pensi habet, verum, an falsum sit, quo me sibilis lectorum exponere possit. Vnde, licet ego non affirmauerim, per anonymi *tulbou* reipsa rates intelligi; conuiciatur tamen, *me Hungarorum humeros ratibus, per multorum dierum deserta baiulandis, subiecisse.* Et quia quaerebam: *Vnde tot Arpado naues? Facete*, subiicit, *et plane ad haec ligna, de quibus hic agebas, apto ingenio.* Ita primus hic *humanitatis* professor, ingenium mihi *lignеum* tribuit: ac ex anonymi *tulbou* Nestoris *Kibitki*, *b*) quod *a verbo Slauico biwam* deriuat, *c*) effingit: et rursus ad affictam mihi quaestionem, *vbinam Hungari ligna ceciderint*, calumnias ea'umaiis accumulando, redit: meque magis *in historia vetere Hungarorum peregrinum esse, quam ipsi Hungari ad fluuium Etyl fuerint*, concludit. Ista quidem apud imperitos risum fortasse ciebunt, at apud eruditos, qui non in cortice haeren:, sed nucleum quaerunt, iustam in tantum Sycophantam, qui vim argumentorum malignis hisce iocis eludere conatur, indignationem mouebunt, eius-

que

a) *Ibid. p.* 30. *b*) *Ibid. p.* 31. *c*) *Ibid. p.* 26.-32.

que non minus fidem, quam humanitatem deſiderabunt.

XX. Pari humanitate, dum tertium et quartum argumentum refellere conatur, ingenio meo ligneo iam fumum admouet, quem diſſipaturus, quaerit, *a*) quomodo ex verbis coaeuorum ſcriptorum elicere potuerim illud: *inſtantibus a tergo hoſtibus?* Quidni potuerim; poſtquam Conſtantinus de Hungaris, hoc bello profligatis, ita ſcribit: *b*) *Fugientes, terram ad ſedes collocandas quaeſiuerunt?* An non enim ob *inſtantes a tergo hoſtes* fugerunt? Id certe fateri debet, quiſquis eos ſuam vmbram timuiſſe fugiſſeque non cenſet. An igitur aliquid hic aſſui, quod ex ipſa coaeui ſcriptoris narratione ſuapte non fluit? Quum ex aliis hiſce Conſtantini verbis. *Turcae itaque profligati, fugientes, -- magnam Morauiam ingreſſi, incolas eius expulerunt, ibique ſedes ſuas poſuerunt, tenentque in hodiernum vsque diem*, hunc in modum arguierem: *c*) *Si magna Morauia fuit etiam in Maeſia; hanc ingreſſi Hungari, pulſis eius incolis, ſedes ſuas etiam ibi poſuerunt, ac ad aetatem vsque Conſtantini retinuerunt*; quaerebam: *Age iam, dic, an Hungari Maeſiam tamdiu retinuerunt?* Agnouit ille vim argumenti huius, eamque declinaturus ac eluſurus, ait, *d*) *Hungaros poſt vltimam cladem, a Pacinacitis acceptam, veterem Morauiam petere ac tenere potuiſſe, tametſi ſupra Sauum Danubium traiecerunt.* Atqui, ſi ſupra Sauum Danubium traiecerunt; *non terras Pannoniae finitimas*, ſed

a) *Ibid. p.* 33. *b*) *De adm. c.* 38. *c*) *Exam. p.* 154. *d*) *Hypercrit. p.* 34.

ſed ipſam Pannoniam inundarunt, ſecus ac aduerſarius verbis ſupra laudatis velit: *Deſertis ſeptentrionalibus Danubii ripis terrisque, in meridionalem eiusdem flaminis partem, vbi ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam, inque regiones, Daciae oppoſitas, ſuperato Danubio, tranſſcenderunt, terrasque Pannoniae finitimas, quas nunc forte Seruia occupat, inundunt.* Ita rurſus incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Praeterea, ſi per meridionalem illam Danubii partem, *vbi ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam*, intelligitur illa Pannonia, quae *ſupra Saum* eſt; ſequitur, Hungaros iam alias in Pannonia fuiſſe: in qua ſcilicet *ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam*. En nouam Scyllam! ſed illi haec *inania eſt, ex ſcopo ſuo, a me detorto, peſſime deducta.* Pulchra dignaque hypercritico haec eſt reſponſio, quae nec imperitis quidem, nedum eruditis ſatisfaciat.

XXI. Quam autem illius artem nullus lectorum demirari deteſtarique ſatis poſſit, haec eſt, quod, ita verbis ſuis captus, ne ſuum errorem fateri cogatur, me reum faciat, ſuumque ſcopum a me detortum eſſe criminetur. Quis ſcopus auctoris huius fuerit, vel ex hac Synopſi libri II. capitis IV. patet: *Vetuſtiſſimae Hungarorum ſedes, ex quibus a Patzinacitis propulſi, transmiſſo Danubio, conſedere prope Seruiam. Inde arma victricia in Morauiam Sirmienſem tulere.* Quomodo hunc ego ſcopum detorſi, quum ex hoc ſyſtemate contendi, Hungaros, a Patzinacitis propulſos, tranſmiſſo Danubio, prius in Maeſia conſediſſe, quam

in

que non minus fidem, quam humanitatem deſiderabunt.

XX. Pari humanitate, dum tertium et quartum argumentum refellere conatur, ingenio meo ligneo iam tumum admouet, quem diſſipaturus, quaerit, *a*) quomodo ex verbis coaeuorum ſcriptorum elicere potuerim illud: *inſtantibus a tergo hoſtibus?* Quidni potuerim; poſtquam Conſtantinus de Hungaris, hoc bello profligatis, ita ſcribit: *b*) *Fugientes, terram ad ſedes collocandas quaeſiuerunt?* An non enim ob *inſtantes a tergo hoſtes* fugerunt? Id certe fateri debet, quisquis eos' ſuam vmbram timuiſſe fugiſſeque non cenſet. An igitur aliquid hic aſſui, quod ex ipſa coaeui ſcriptoris narratione ſuapte non fluit? Quum ex aliis hiſce Conſtantini verbis. *Turcae itaque profligati, fugientes, -- magnam Morauiam ingreſſi, incolas eius expulerunt, ibique ſedes ſuas poſuerunt, tenentque in hodiernum vsque diem*, hunc in modum argui em: *c*) *Si magna Morauia fuit etiam in Maeſia; hanc ingreſſi Hungari, pulſis eius incolis, ſedes ſuas etiam ibi poſuerunt, ac ad aetatem vsque Conſtantini retinuerunt*; quaerebam: *Age iam, dic, an Hungari Maeſiam tamdiu retinuerunt?* Agnouit ille vim argumenti huius, eamque declinaturus ac eluſurus, ait, *d*) *Hungaros poſt vltimam cladem, a Pacimacitis acceptam, veterem Morauiam petere ac tenere potuiſſe, tametſi ſupra Sauum Danubium traiecerunt.* Atqui, ſi ſupra Sauum Danubium traiecerunt; *non terras Pannoniae finitimas,*

ſed

a) *Ibid. p.* 33. *b*) *De adm. c.* 38. *c*) *Exam. p.* 154. *d*) *Hypercrit. p.* 34.

ſed ipſam Pannoniam inundarunt, ſecus ac aduerſarius verbis ſupra laudatis velit: *Deſertis ſeptentrionalibus Danubii ripis terrisque, in meridionalem eiusdem fluminis partem, vbi ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam, inque regiones, Daciae oppoſitas, ſuperato Danubio, tranſcenderunt, terrasque Pannoniae finitimas, quas nunc forte Seruia occupat, inundant.* Ita rurſus incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Praeterea, ſi per meridionalem illam Danubii partem, *vbi ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam*, intelligitur illa Pannonia, quae *ſupra Sauum* eſt; ſequitur, Hungaros iam alias in Pannonia fuiſſe: in qua ſcilicet *ſecundiorem ſemper adhuc experti ſunt fortunam*. En nouam Scyllam! ſed illi haec *inania eſt, ex ſcopo ſuo, a me detorto, peſſime deducta.* Pulchra dignaque hypercritico haec eſt reſponſio, quae nec imperitis quidem, nedum eruditis ſatisfaciat.

XXI. Quam autem illius artem nullus lectorum demirari deteſtarique ſatis poſſit, haec eſt, quod, ita verbis ſuis captus, ne ſuum errorem fateri cogatur, me reum faciat, ſuumque ſcopum a me detortum eſſe criminetur. Quis ſcopus auctoris huius fuerit, vel ex hac Synopſi libri II. capitis IV. patet: *Veteriſſimae Hungarorum ſedes, ex quibus a Patzinacitis propulſi, transmiſſo Danubio, conſedere prope Seruiam. Inde arma victricia in Moraiam Sirmienſem tulere.* Quomodo hunc ego ſcopum detorſi, quum ex hoc ſyſtemate contendi, Hungaros, a Patzinacitis propulſos, transmiſſo Danubio, prius in Maeſia conſediſſe, quam

in

in Pannoniam Sauiam ac Morauiam Sirmienſem arma tuliſſent? ſed clarius ſubinde hunc ſcopum ſuum his verbis expreſſit. *a*) *Ita dubitare non licet, Hungaros, quum familias reique omnem familiarem a Patzinacitis perditam viderent, ius in armis portantes, Danubium ſuperaſſe, et fortunam meliorem tempusque opportunum operientes, incertis fere ſedibus, prope tamen Pannoniam egiſſe.* An, ſi *ſupra Sauum Danubium* traiecerunt, *prope Pannoniam*, et non in ipſa Pannonia potius, egerunt? Quis non videt, inane hoc effugium eſſe? Ita dum ſe vult aduerſarius explicare, ſe magis implicat. Et tamen quam audacter ſententiam ita pronunciat: *b*) *Mihi quidem, quod hic argutaris, nihil prorſus ſubactum eſſe videtur.* Mihi vero nihil ad rem eſſe videtur, quicquid de Suatoplugo, Hungaris, dum in Pannoniam tranſirent, arma non opponente, hic adfertur. Nec enim ego, viuente Suatoplugo, Hungaros in Pannoniam tranſiiſſe trado; nec Turotzium, quem fontem hiſtoriae domeſticae cum aliis facio, ſemper ſequendum eſſe vel cenſui, vel cenſeo. Reiicio certe fabulam de Hungaris, equo regnum a Suatoplugo mercantibus, vt eam Turotzius refert; eique veriſimiliorem anonymi de Salano narrationem ſufficio. Cur igitur ex Turotzio, quaſi, quicquid ille narrat, adoptarem, oppugnor? *c*) Quis iam ferat hunc aduerſarii, ſuis hic telis penitus obruti, plauſum ac inanem triumphum: *d*) *Vide, quam facile omnes*

tui

---

a) *Morau. p.* 196. *b*) *Hypercr. p.* 34. *c*) *Ib. p.* 35. *d*) *Ibid. p.* 36.

tui fumi diſſlati ſunt, vel modico ex hiſtoria lumine accenſo? Quantus iſte fumus?

XXII Antilogias, quas ille hic commiſit, in me translaturus, contemtim quaerit, *an potuerim tantam vim ingenio meo inferre, vt in animum inducerem exiſtimare, annaliſtae egreſſum et meum ingreſſum idem notare?* Quis vnquam hoc exiſtimauit? Adduxeram in hiſtoria ducum p. 102. teſtimonium annaliſtae Metenſis, qui Hungarorum e Scythicis regnis egreſſum figit ad an. 889. ſubiunxi, hunc et alios auctores *non tam primum ex Aſia egreſſum, quam primum in Hungariam ingreſſum, cuius epocham magis ſibi cognitam, quam illius, vtpote remotioris, habere poterant, conſignaſſe videri.* Huius coniecturae veriſimilem cauſſam hanc reddidi, quod *iidem plura, quae pluribus annis Hungari geſſerant, ſub vna ſerie repraeſentent.* Certe non eodem anno 889. Hungari et Scythiam deſeruerunt, et Pannoniorum ac Auarum ſolitudines pererrarunt, et Carantanorum, Marahenſium ac Bulgarum fines percurſarunt. Quae tamen omnia ſimul iidem ſcriptores ad eumdem annum referunt. Ex his patet, me iuſtam cauſſam habuiſſe, haec in plures annos digerendi; nec *ingreſſum et egreſſum* confudiſſe, ſed potius diſtinxiſſe; vanum igitur aduerſarii commentum fuiſſe, dum haec *idem notare* me finxit exiſtimaſſe. Deinde quaerit: *Vnguarinine et Munkatſini ſunt illae Pannonum et Auarum ſolitudines, ad quas annaliſta Hungaros ingreſſos dixit?* Ibi quidem, vbi has aduerſarius contulit, non fuiſſe, iam oſtendi; nondum ille, hic vel in vicinis locis eas non fuiſſe,

ſe, docuit. Denique teſtimonium annaliſtae Metenſis adduxi, non vt Hungarorum Vnguarinum, ſed in Hungariam ingreſſum ex eo veriſimiliter defigerem ad an. 889. Vnguarinum autem non ex annaliſta laudato, ſed ex anonymo conſignaui. Hunc cum aliis conciliaturus, rurſus per coniecturam ita ſcripſi: *a) Videntur Hungari, poſtquam Kouiam, Lodomeriam, Haliciam tributis ſubiecisſent, ita plagas Vngenſes inſedisſe, vt veterem Cumanorum ſedem etiam in ſua poteſtate retinuerint, et aditu ſemel in Hungariam aperto, hic quidem Almus vel Arpadus, illic Eleudius, alibi dux alius Hungarorum parti praefuerit.* Quum aduerſarius huic coniecturae nondum meliorem oppoſuerit; alios a me Hungaros Vnguarini, alios in Moldauia vel Valachia collocari dum videt, non miretur, *neque meipſum obliuum mei* criminetur. *b)*

XXIII. Magis ille poteſt eorum oblitus dici, quae hunc in modum per coniecturam, a ſe numquam diſcuſſam, ſcripſi, quum quaerit: *c) Qua via, quo itinere, qua de cauſſa Vnguarino Hungaros ad Moldauiam per tot flumina et montes tranſtuliſti?* Nihil horum in meo ſyſtemate, quod ex conciliatis anonymi Conſtantinique teſtimoniis procuderam, neceſſe fuit facere. Poſtquam enim Hungaros non tantum Vngenſes plagas, ſed veterem etiam Cumanorum ſedem occupaſſe ſtatui; his Patzinacitarum impetu primum in Lebedia, tum etiam in Atelcuſu victis ac in fugam actis, Arpadus quoque, cum parte Hungarorum magis ad

a) Hiſt. Duc. p. 109. *b) Hyperc. p.* 37. *c) Ibid. p.* 38.

ad occidentem diſiunctus, ſecuriorem ſibi locum quaeſiturus, in inſulam Tſepel ſe recepit. Conſtantino certe ſatisfieri poteſt, quamuis Arpadus pugnae cladique, quam in Atelcuſu Patzinacitae Hungaris intulerunt, non interfuerit; audita tamen hac ſuorum clade, Patzinacitis victos perſequentibus, et ipſe fugerit ac in ſecuriorem locum ſe ſubduxerit. Quid igitur obſtat, quominus Hungari non *cum Arpado*, quod ille ſcribit; *a*) ſed poſt Arpadum *fugientes*, *ad Arpadum* ſe contulerint? Illi vero, qui paullo prius ab Arpado, poſt felicem trans Danubium expeditionem, ad domos familiasque ſuas in Moldauia viſendas abiuerant, audita clade, fugientium globo permiſti, rurſus ad Arpadum, iam et ipſum in fugam impulſum, *reuerterint*. Hos ego Hungaros, non illos, quos Patzinacitae vicerunt, ad Arpadum fuiſſe *reuerſos* aſſerui. Sed aduerſarius haec omnia miſcet ac vltro confundit, vt voculam *ergo* mordacius traducere poſſit. Hungaris, ex Moldauia fugientibus, partim rapaciſſima flumina, partim Gladi, nondum ſubacti, copias obiicit. *b*) Quaſi vero vel illa flumina traiectu tam difficilia, quam Danubius; vel Gladus tam potens, quam Suatoplugus, tot tantisque prouinciis ab aduerſario donatus, fuiſſet; vel aliam Hungari viam per Tuhutumi Menumorotique terras inire non potuiſſent.

XXIV. Aduerſarius quidem, Hungaros poſt hanc cladem magnam Morauiam ingreſſos fuiſſe, bene dixit; ſed male cenſuit, eosdem illico Mo-

ra-

a) *Ibid. p.* 39. *b*) *Ibid. p.* 40.

rauiam ingreſſos eſſe. Nam, vt alias e chronologia lumen ad diſſipandas has eius tenebras accendimus, clades iſta Hungarorum ad annum 895. ingreſſus in Pannoniam ad annum 896. defigi debet. Quum autem dicit, *Hungaros e Moldauia ad inſulam Tſepel, hoc eſt, e patria ad patriam fugiſſe;* verum hoc ſenſu dicit, quod vtrobique iam Hungari habitauerint; non item, quod qui nunc illic, prius iſtic habitauerint. Atque hic tandem particulam *ergo*, ſaepius repetitam, ex meis verbis male relatis peius vſurpatam, dimittit. Pueros olim ſuum *obliquum habes* toties ingeminaſſe memini. Non minus inique me traducit, quod his Conſtantini verbis: *Turcae profligati, fugientes et terram ad ſedes collocandas quaerentes, magnam Morauiam ingreſſi*, hanc explicationem: *non multo poſt*, interſeruerim: quam ait, a) *non ratione, non loco, ad inducendam ſolummodo hiſtoriae patriae confuſionem inſertam eſſe.* Non ad inducendam hiſtoriae confuſionem, ſed ad indicandam rei geſtae veritatem, me hanc explicationem inſeruiſſe, diſcere poterat ex iis, quae mox anno ſequenti, ſeu 896. ſcripſeram ad hanc quaeſtionem: *Quando Pannoniam primum inuaſerunt?* Tam hic, quam alibi teſtimonio Conſtantini docui, Hungaros regionem Suatoplugi filiorum ante annum 896. non occupaſſe; eosdem a Patzinacitis cladem vltimam anno 895. accepiſſe. Poſtquam igitur ex ipſo Conſtantino hanc chronologiam erui, non habui rationem iuſtamque cauſſam, inſertis his

a) *Ibid. p.* 41.

his vocibus: *non multo post*, hanc eius sententiam explicandi: *Turcae profligati, fugientes et terram ad sedes collocandas quaerentes*, non multo post *magnam Morauiam ingressi, incolas eius expulerunt?* Non licuit Constantinum ex ipso Constantino sic explicare, vt lectores intelligerent, Hungaros non illico, non eodem anno, quo cladem a Patzinacitis acceperunt, sed sequenti, proinde *non multo post*, magnam Morauiam ingressos fuisse? An igitur has voces *non ratione, non loco, ad inducendam solummodo historiae patriae confusionem* inserui?

XXV. Mox aduersarius calumniandi caussa fingit, a) *insulam Tsepel fuisse illam terram, quam ad sedes collocandas* Hungari *quaesiuerunt.* At numquam ego finxi, *Hungaros quaesiuisse terram, quam habebant*, quum *iam ante cladem Moldauicam omnes oras, Tibisco, Grano, Morauo comprehensas*, Hungari sibi subiecerint. In hac illi terra, iam sua, post cladem Moldauicam tantisper conquieuerunt, seque simul omnes tam illi, qui iam antea hic erant, quam illi, qui post cladem Moldauicam fugerant, constrinxerunt, donec terram ampliorem ad sedes collocandas quaesiuissent, *nec multo post*, ortis inter Suatoplugi filios dissidiis, magnam Morauiam ingressi fuissent. Estne hoc *historiae patriae confusionem inducere*, quum anonymus, scriptor historiae patriae, cum Porphyrogenito tam belle conciliatur? Et tamen *insanire* dicor? velut abusus ingenio, quod mihi DEVS dedit, abusus fortuna, quam mihi regius fauor concessit, indignissime traducor? An potest aequus

a) *Ibid. p.* 42.

lector sine horrore grauissimam hanc eius criminationem legere: *O superorum et terrestrium suprême arbiter DEVS! adeone potuisse insanire hominem, sollertissimo a te praeditum ingenio, ea cumulatum fortuna, vt plures, quam vicenos annos* (septem) *soli historiae patriae praelegendae in vniuersitate Hungarica operam daret?* Vos, praesides scientiarum, per meum latus hic petimini, qui me, hominem insanum, in vniuersitate Hungarica vicenos quidem annos, sed in sola historia patriae praelegenda septem annos toleraſtis, iuuentutique Hungaricae tam male consuluistis. Dum primus iste *humanitatis* professor *insanire* me criminatur; nolim quidem ego par pari reddere; si tamen lectores curatius obseruauerint, quomodo quadrata rotundis misceat et omnia confundat, vt insanum me faciat; vereor, ne hanc eamdem illi notam appingant.

XXVI. In historia ducum plura Constantini loca recito p. 176. quibus eamdem ille cladem, a Patzinacitis illatam, narrat. Et iam prius ostendi, p. 166. *eiusdem cladis, quam Patzinacitae Turcis intulerunt, pluribus locis ita Constantinum meminisse, vt alibi quidem modum, alibi tempus actae rei nos doceat; idemque bellum diuersis capitibus ab eo describi, combinatis omnibus adiunctis, appareat.* Quid ille? Licet, repetita particula *tunc*, indicauerim, ad eamdem cladem haec omnia Constantini loca me referre; quasi tamen aliam tertiaConstantini sententia cladem intellexissem, ita conuiciatur: a) *Nae tu potens rerum es, qui Moldauiam*

a) *Ibid. p.* 43.

etiam tam cito in insulam Tsepel transtuliſti; iuxta et immiſericors, qui Hungaros, iam a locis Atelcuſu fugatos et ad quieſcendum in insulam Tsepel transpoſitos, hic rursum in fugam is actum! Lectores iudicent, vter *insanire* videatur, an, qui haec nec eminus ſenſit et ſcripſit; an, qui ſine cauſſa haec eidem appingit. Iudicent, an ipſe maiore riſu dignus non ſit, quam anonymus Belae notarius, ex quo de fabris accitis, de Glado, poſtquam Hungari victi cum victoribus et integris ſe coniunxiſſent, ſubacto quaedam narraui? Iudicent, an haec tanti momenti negocia fuerint, vt ab iis, eo iudice, *a*) fieri breui tempore non potuerint, quos equorum pernicitate ſcriptores eius temporis incredibilia locorum interualla peragraſſe teſtantur? An ſano conſilio rurſus ad Simeonem Bulgarorum regem, ad Gladum, ad inſulam Tsepel redeatur, vt inſaniae nota mihi rurſus inuratur? *b*) *Hui*, exclamat, *formidandum archiſtrategum, qui vnius anni ſpatio integras gentes exciditi, exciſas ad vitam reuocaſti, et cum iisdem regiones, quae paſſibus peragrari non poterant, vincendo deleuiſti, ac tandem equis defeſſis ſtabula aedificaſti.* Quas ego gentes excidi? quas ad vitam reuocaui? Scripſi, quod Porphyrogenitus in haec verba ſcripſit: *Quumque ad bellicum expeditionem abiiſſent Turcae; contra eos Patzinacitae, cum Simeone profecti, familias ipſorum omnino perdiderunt, hinc miſere pulſis, qui ad regionis iſtius cuſtodiam relicti erant.* Dixine vel ego, vel Conſtantinus,

a) *Ibid. p. 44.* b) *Ibid. p. 45.*

hic *integras gentes excisas?* Reuocarine debebant ad vitam vel isti, quos *ad regionis custodiam relictos* fuisse Constantinus perhibet; si tantum *pulsi*, non item caesi fuerant, vel illi, qui tunc *ad bellicam expeditionem abiuerant?* Quis vero *regiones*, quae pernicibus equis percurrebantur, *deletas* dixit? An idem est, percurrere regiones et deler.? Quis *stabula defessis equis* aedificauit? An non idem, qui hinc aurigalia scomata saepius postea deprom sit? *O veritas historiae!* quam ego potiori iure possum exclamare? *Tene* tanta figmenta, ne dicam mendacia, *constituere* possunt? Hiccine veritatis studio tenetur, qui vel vna hac pagina tot absurdas res comminiscitur, vt in famam alterius impudentius grassetur! Quis non miretur, illum quaerere, a) *cur Hungaros, Moldauia a Patzinacitis exactos, non recta per Danubium in hanc Morauiam* (inferiorem Pannoniam) *duxerim?* An non enim per illum id mihi, si voluissem, non licuisset, qui iam supra statuit, *Hungaros, a Patzinacitis propulsos, transmisso Danubio, consedisse prope Seruiam; inde arma victricia in Morauiam Sirmiensem tulisse?* Quum igitur aduersarius ipse iam prius contenderit, Hungaros prius in Seruia consedisse, quam in Morauiam Sirmiensem transiuissent; quid est, quod nunc Hungaros *recta per Danubium in hanc Morauiam Sirmiensem* duci velit? Nempe Constantinus, ab illo prius non obseruatus, a me vero iam explicatus, id non finit. Nam si Hungari post cladem Moldauicam in Macsiam

a) *Ibid. p.* 46.

ſiam ſe conculiſſent; Maeſiam ad eius vsque tempora retinuiſſent, ſecundum haec eius verba: *Quam in hodiernam vsque diem incolunt.* Ad ſtabula denique, quae mirus architectus in ſuo cerebro feſſis equis aedificauit, ame quidem nusquam commemorata, ſed ab eo toties commemoranda, vt magnas in ſtabulis delicias habere videatur, iterum reuerſus, ſimul me, ſimul anonymum ita perſtringit: *An, vt anonymum Belae notarium ſequutus, tot antilogiis hiſtoriam collutares, et prius ſtabula equis feſſis aedificares?* Quum antilogiae, toties incaſſum iactatae, penitus euanuerint; *nimirum feſſes potius, Caeciliane, domi.*

CAPVT II.

XXVII. Oſtenſurus aduerſarius, Moraiam ſuiſſe protenſam etiam in Maeſiam, vtitur teſtimonio Conſtantini, quem ait, *a) auctorem eſſe, Moraiam magnam inter rudera pontis Traiani, interque Sirmium et Belogradum inchoaſſe.* Vt appareret, Conſtantinum ſententiae huius auctorem non eſſe, promiſeram ego, *b) plenius me relaturum omnia, quibus opus eſſet.* Hic ille cauillatur, *c) eatenus me lectoribus impoſuiſſe.* Teſtes ego huius rei lectorum oculos conſtituo. Videant, an non plenius ego, quam ille, Conſtantini verba retulerim. Quia vero me relaturum ea promiſeram, *quibus opus eſſet*; nec ad id opus erat Conſtantini libro de cerimoniis aulae Byzantinae, cuius ſententiam aduerſarius non hic, ſed quinta

a) *Moram. p.* 12. *b*) *Exam. p.* 27. *c*) *Hyperm. p.* 47.

post pagina refert; an eam hic non recitando, lectoribus imposui? Ceterum, quisquis eam inspexerit; videbit, id, quod aduersarius vult, ex illa non sequi, scilicet, *vt Seruiam, ita Moraviam in Maesiam includi.* Quis enim dixerit, Maesiae populos illos omnes includi, qui sic ibi recensentur: *Ad archontem Chrobatiae, Serblorum, Zachlumorum, Canali Trabunorum, Dioclitae, Morabiae sic scribitur?* Nec ille porro his Constantini verbis ad suum systema probandum vtitur; sed illis, quae saepe iam alias ex cap. 38. retulimus. At enim nihil agit; nisi prius ostenderit, Hungaros *solam* Moraviam occupasse. Quod quidem numquam ostendet, repugnantibus his inter cetera Constantini verbis: *Et habitant quidem trans Danubium Turci, in terra Moraviae, atque* ETIAM VLTERIVS, *inter Danubium et Sabum fluuios.* Cap. 40. Non igitur, vbicunque Hungari post cladem, a Patzinacitis acceptam, habitarunt, ibi fuit *Magna Moravia*, quod ille vult. *a*) Dicit quidem Constantinus, *Hungaros in magna Moravia habitasse*; sed non dicit, huius in Moravia habitationis antiqua monumenta vestigiaque superesse, scilicet pontem Traiani, Sirmium, Belgradum: quae quidem supersunt, sed habitationis Hungarorum monumenta non sunt: nec dicit a ponte Traiani Moraviam, sed Turciam inchoare, quas duas regiones pro synonimis aduersarius accipit.

XXVIII. Quum solidissimum argumentum meum ex Constantino petitum, aduersarius refellere non po-

a) *Ibid. p.* 41.

potuiſſet; ſatis habuit mihi dicere: a) *Sic tu — diſtortiſſime certe cogitaſti. — Itaque tua quidem ſententia illud Conſtantini: Inde magna Morauia, idem eſt, ac deinde, ſeu poſt Sirmium.* Ita. *Vbi autem poſt Sirmium? Reſpondes in conſpectu operis: inter Granum et Bohemiam.* Etiam. At non excluſi Pannoniam; immo his verbis in hiſtoria ducum incluſi p. 322. *Quia Conſtantinus admouit Sirmio Morauiam magnam; liquet, per eam intelligi Pannoniam, olim Suatopluco ſubiectam.* Nunc iam *riſum tenuatis, amici*, quem is de me ciere voluit. Conſpectus operis mei proponit capita, capitibus eius oppoſita, quorum ille primum ſic exhibet: *Morauia vetus per Maeſias atque Pannonias fuſa fuit.* Meum ita habet: *Morauia vetus in Maeſia non fuit.* An hic ex Pannonia Morauiam excluſi? Vtri melius igitur illud congruit: b) *Ate tumentes montes parturiuerunt?* Sed nempe his conuiciis argumenti defectus ſuppleri debuit. Non minus ſe ridendum exhibet, quum illas particulas *non ſolum* ridiculum effugium vocat, meque ſugillat, *quod, poſtquam eas adieci, nullo modo firmauerim.* Videat, obſecro, lector aequus paginam 30. examinis; et miretur, id ab eo dici poſſe, qui hanc Conſtantini ſententiam: *Et habitant quidem trans Danubium Turci in terra Moraiae, atque etiam vlterius*, apud me legerit ac citauerit. Miretur, illum has particulas; *Atque etiam vlterius*, in quibus maxima vis eſt, prius omiſiſſe, nunc diſſimulare, quaſi particulae *non*

a) *Ibid. p.* 49. b) *Ibid. p.* 50.

ſolum illis *nullo modo* firmarentur. Miretur eius effugium, dum Conſtantini ſcopum, velut a me prius ignoratum, exponit *a*) ac modeſtiſſime tandem ita concludit: *b*) *Deinceps, ſiquem ſcriptorem pro te allegaueris; ita critice eum legere memento.* Nempe critice Conſtantinum legere numquam potero; niſi Morauiam *in parte Mueſiae et Pannoniae ſteriſſe*, conceſſero. Hanc criſim, fateor, me nondum didiciſſe, nec diſcere tamdiu poſſe, donec huius Conſtantini ſententiae meminero: *Habitant quidem trans Danubium Turcae*; quum neque Maeſia, neque Pannonia Conſtantino *trans Danubium* fuerit; donec item hae voces: *atque etiam vlterius*, ex eadem ſententia deletae fuerint. Hac criſi tam ſubtili deſtitutus, nonniſi *futiles quaeſtiones* de Timotianis illi mouere videor, *c*) quae, *qualis ſim criticus, pleniſſima in luce ponunt.* Etiam quaeſtio *de* legatis Arnulfi, per hoſtilem hanc regionem in Bulgariam ex Pannonia Sauia traducendis, negocioſi cuiusdam in nihilo triconis eſt; *d*) Solatio tamen mihi debet eſſe, quod multos eruditos viros in hac quaeſtione titulo*que negocioſi triconis* ſocios habeam, qui *quinque ſupra nonaginta vias in Bulgariam* non viderunt, nec 400. millibus armatorum ad omnes fines ditionum obſidendos opus eſſe cenſuerunt, quum in regnis bene conſtitutis pauci cuſtodes ad limites cuſtodiendos et peregrinos arcendos ſufficiant.

XXIX.

---

a) *Ibid. p.* 51. *b*) *Ibid. p.* 52. *c*) *Ibid. p.* 53. *d*) *Ibid p.* 54.

XXIX. Post leuiores has reprehensiones, grauius iterum accusor, a) quod *ad euidentiam occultandam* e tenebris Peripateticis distinctiones petierim, & *alios Turcis, alios Morauis terminos obiecerim.* Nimis illum torquet Peripatetica haec Constantini distinctio; *Atque etiam vlterius*, quae non solis Morauiae limitibus Hungaros constringit. Ideo Peripateticam illam distinctionem, qua Hungari non solam Morauiam occupasse dicuntur, omittendam ratus, hanc Constantini sententiam c. 42. *Et habitant quidem trans Danubium Turci in terra Morauiae; atque etiam vlterius, inter Danubium et Sabam fluuios*; ita retulit in situ Morauiae p. 13 *Et habitant quidem Turcae in terra Morauiae intra Danubium et Sabam fluuios.* Ita Constantinum critice, lector, legere memento: quae tibi contraria fuerint, omittito.

XXX. Hinc ad Schwartzium, *accuratissimum Constantini interpretem*, confugit, b) meque, quod illum male correxerim, ita carpit: c) *Non te pudet, rem, quum alterum malae fidei fugillas, tam subiesta fide agere?* Calumnia haec est non ferenda. Quid enim subiesta fide hic egi? Nonne duorum Constantini locorum Schwartzius meminit? alterius, vbi *Chrobatos ad montes Turcis* obiicit; alterius, vbi *Turcis orientem versus Bulgaros confines* facit. Montes, ad quos Chrobati Turcis obiacent, infra Belgradum per Seruiam ad Bulgariam vsque Schwartzius porrigit, et sic Bulgaros Turcis ad orientem confines facit. Id autem ex

men-

a) *Ibid. p.* 55. b) *Ibid. p.* 56. c) *Ibid. p.* 57.

mente Constantini non esse, his eiusdem verbis: *Vbi eos Ister -- separat*, ostendi. Quid *sublesta fide* hic actum? Quid Schwartzio *rotunde* contrarium assertum? An vsquam dixi, Schvartzium ex eodem Constantini loco hos limites definiuisse? An non eiusdem verba, quibus *ex alio loco* se limites versus orientem depromsisse scribit, integre retuli! *Quapropter*, inquit, *alio Constantinus loco Bulgaros Turcis ad orientem collocat.* An hic est *sublesta fides*? An *alterius egregii scriptoris verba fallaciter immutaui*? Quomodo grauissimam hanc calumniam, his aduersarii verbis in me iactam, commeritus sum? *Abiice iam, quaeso te, tuum inficetum trasonisandi studium, et viros bonos, veri studiosos, insectari desine.* Veri studiosos numquam insectatus fui; veritatis tamen hostes insectari numquam desinam; nec vllis ab hoc studio conuiciis auocari me sinam. Nec est, cur pro RR. D. Salagio, per cuius latus hic petor, *a*) respondeam. Ipse pro se, si velit, facile respondebit.

XXXI. Hic tandem aduersarius rationem reddit, cur ex testimonio Constantini has voces: *Atque etiam vlterius*, omiserit. *Hic enim*, inquit, *b*) *loci mihi ostendendum sumsi, Morauiam in Pannonia Sauia stetisse. Huic scopo verba*: Atque etiam vlterius, *non conducebant.* Vtique non conducebant, sed officiebant potius et luce clarius conficiebant, *Morauiam in Pannonia Sauia non stetisse.* Quid enim est, *habitasse Turcos trans Danubium in terra Morauiae, atque etiam vlterius intra Danu-*

a) *Ibid. p.* 58. *b*) *Ibid. p.* 59.

mubium et Sabam fluuios; quam Pannoniam Sauiam vltra Morauiam fuiſſe; Morauiam in Pannonia Sauia non ſtetiſſe? Nunc tandem aſſequor vim illius praecepti: *Deinceps; ſi quem ſcriptorem pro te allegaueris, ita critice eum legere memento.* Omittendae nimirum erunt voces, quae contra me faciunt. Hem! quam facilis mihi via panditur ad cauſſam, quantumuis deſperatam, teſtimonio ſcriptorum, ſic allegatorum, omiſſis nempe vocibus, contra me facientibus, propugnandam! ſed nempe *haec verba Conſtantini minime omnium, poſtquam tot alia ſilentio praeteriui, commemorare debuiſſem.* a) Multa quidem ſilentio praeteriui, quae non erant neceſſaria; ſed iam etiam illa praeterire diſco, quae mihi fuerint contraria. At at iisdem illis Conſtantini verbis errorls conuincor, quo *negabam, Morauiam magnam etiam in Dacia fuiſſe.* Conſtantinus enim dixit: *Habitant trans Danubium Turci in terra Morauiae. — Vbi autem Turci habitabant trans Danubium?* quaerit aduerſarius; et reſpondet his Conſtantini verbis: *In locis, quae cognomina nunc habent a fluminibus tranſcurrentibus. Eorum primum Tinceſes eſt, alterum Tutes, tertium Moreſes, quartum Criſus, quintum Tiſza.* Concludit: *Ergo terra, his fluminibus comprehenſa, fuit terra Morauiae. Iam vero terra, bis fluminibus interluta, fuit Dacia, hodiernae Tranſſiluaniae reſpondens* (Nondum ſciui, Titzam, ſeu Tibiſcum, hodiernam Tranſſiluaniam interluere) *Quid?* vrget, *Tamen tu Morauiam in Dacia non vidiſti?*

Cer-

a) *Ibid. p.* 60.

Certe non vidi; curque non viderim, mox rationem reddam; si prius responsum mihi fuerit; quomodo, *si habitabant trans Danubium Turci in terra Moraviae*; Maesia, qui Constantino cis Danubium erat, in terra Moraviae fuerit, in qua Turci habitauerint? Si mihi responsum fuerit, Constantinum, licet hic de *sola* Morauia Transdanubiana loquatur, non tamen illam solam pro habitatione Turcarum assignasse; dicam et ego, Constantinum, licet Morauiam pro habitatione Turcarum assignet, non tamen illam *solam* assignare; proinde non, vbicumque Turcos habitasse dicit, ibi fuisse Morauiam innuit. Illud dicendi fundamentum ex his Constantini verbis aduersarius eruere vult: *Atque etiam ulterius*; e quibus contendit, *ad Sauum fuisse Morauiam.* At enim, sicut iam ostendimus, verbis illis Morauiam intra Sauum et Danubium non constitui; ita Morauiam in Daciam extendi non posse, verba haec ostendunt: *Vlteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent.* — Quasi diceret; vlteriora haec loca habitationis Turcarum non Morauiae nomine veniunt; sed a fluminibus transcurrentibus appellationem trahunt. Et vero haec loca Hungarici iuris fuisse prius, quam sibi magnam Morauiam Hungari subiecissent; inde patet, quod, postquam a Patzinacitis victi fuissent anno 895. nonnisi sequenti magnam Morauiam occupauerint, vt ex Constantino iam ostendimus. Debebant igitur interim medio quodam loco inter Patzinacitas, a quibus pulsi sunt, et Morauiam, quam nondum ingressi, consistere. Medius ille locus respondebat terris, quas

a

a laudatis fluuiis coghominatas Constantinus asserit, quasque prius iam ab Hungaris occupatas fuisse, Belae notarius in sua historia tradit.

XXXII. Sed ad ingenium aduersarius redit, neque huic capiti finem imponere potuit, quin vsitato iam more calumnias in me iaceret. Ac primum quidem queritur, a) quod *propter Daciam ita in illum bacchatus fuerim, tamquam ius aliquod in illum habuissem.* Obsecro lectores, Libri I. caput II. quo de Dacia tracto, quum admodum breue sit, percurrere velint. Videbunt, ne verbo quidem in illum me fuisse bacchatum. Argumentorum dumtaxat illius infirmitatem ostendi; nec vllum mihi ius in ipsum arrogaui, sed in argumenta tantum illius, quae quamprimum publici iuris facta sunt, mei quoque iuris enaserunt. Queritur deinde, me petitum ex Constantino *argumentum generoso transsaltasse silentio.* Ad primum ex Constantino locum in examine meo p. 55. respondi: *Non illum Morauiae sed Turciae limites -- discriminare.* Alterum, in quo nihil ponderis erat, breuitatis caussa non attigi. Nec enim hanc mihi legem vllus imponere potest, vt omnes alterius quisquilias transscribam. Excutiat, qui volet, locum illum, et eruat inde, si potest, hanc aduersarii sententiam: Constantinus *terras, Belgrado oppositas, -- Morauiae nomine insignit.* Quare putidum conuicium est, dum mihi seu malam fidem, seu turpem oppositorum argumentorum dissimulationem exprobrat. Conferat aequus lector

a) *Ibid.* p. 61.

ctor illius Hypercriticon cum examine meo; videbit, magnam partem argumentorum meorum ab eo dissimulari, qui me huius dissimulationis insimulat.

CAPVT III.

XXXIII. Tantam initio huius capitis fiduciam aduersarius in his Constantini verbis: *Vlteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transeurrentibus* – collocat, vt iis, *vbi magna Morauia fuerit, affatim ostendi; meam autem historiam ducum penitus mactari*, pronunciet. *a*) Magnae quidem minae; sed, quae, licet aerem verberent, meae tamen historiae ducum nullum vulnus inferent. Primus certe passus ad hoc infligendum male figitur, quum Turcia cum Morauia confunditur. Nec opus hic esse video, cum taedio tam meo, quam lectorum, argumenta repetere, quibus Turciam non iisdem limitibus constrictam fuisse, quibus Morauiam, saepius ostendi. Non potui sine risu legere limitum occidentalium, his Constantini verbis expressorum: *Ad occidentem Franci*, hanc expositionem: *b*) *Nihil certius; Hungaros enim, in memoratis a Constantino locis degentes, ab occidente Tirza, seu Tibiscus, includebat Daciae.* Nouus hic seu Daciae, seu Hungariae limes, a Constantino numquam memoratus, quo

a) *Ibid. p.* 62. *b*) *Ibid. p.* 63.

quo tandem argumento ſtatuitur? An, quod Hungari Titzam accoluerint? Atqui Timeſem etiam accoluerunt. Si hic igitur fluuius orientalis limes propterea haberi non poteſt; cur Tibiſcus occidentalis limes haberi debet? Et tamen *nihil*, inquit, *certius*. Ex hac tanta certitudine fluunt cetera, quae de Belo-Chrobatis adiiciuntur. Bene quidem Conſtantinus hos *ultra Turciam prope Franciam incolere* docet; at *Turciam ſeu Hungariam ea tempeſtate a parte occidentis amne Tibiſco abſciſſam fuiſſe*, necquicquam aduerſarius *nos vidiſſe*, perhibet. *a*) Non minus arbitrarium et violentum eſt, quod ſubiicitur, *hanc regionem Alborum Croatarum dictam etiam fuiſſe Conſtantino Franciam*; propterea, quod, eodem teſte, *verſus Franciam commorabantur*, -- et *parebant Othoni magno regi Franciae*. Quid nomine Franciae Conſtantinus acceperit; ex his ipſius verbis intelligimus C. 25. *Germanos, qui iam Franci vocantur*. Item C. 30. *Otto magnus rex Franciae, quae et Saxonia*. Germanos igitur, ad quos occidentis imperium, a Francis inſtauratum, tranſiit, per Francos illos, quos Turcis ad occidentem confines facit, accipiendos eſſe, luculente patet. Quid aduerſarius? Francos in Belo-Chrobatos conuertit, quos ad Tibiſcum vsque nouus geographus porrigit; vt noui hi Franci Turcis ad occidentem confines eſſe poſſint. Tum ex principiis adeo certis cogit, nec ad Granum vsque fluuium Moraiam, nec per Tibiſcanas oras Bulgariam ſuiſſe pro-

a) *Ibid. p. 64.*

protenſam; ac denique decretoriam ſententiam in haec verba pronunciat: a) *Ruat itaque, neceſſe eſt, totum regnum Bulgaricum, et ruxta cum o tomus hiſtoriae ducum, vt ex his patet, ex meris vmbris conflatus.* Nimirum ſeuera haec eſt ſententia; quum nec illi parti hiſtoriae ducum parcat, quae nec de Morauia, nec de Bulgaria tractat. Cur vero totus ille tomus *ex meris vmbris conflatus eſt?* Quia, ſi Morauiam ad Granum vsque porrigimus; ſi Bulgariam per Tibiſcanas oras protendimus; Croatae non erunt Franci; nec enim poterunt ad Tibiſcum extendi, qui Turciae limes occidentalis, omnibus adhuc ignotus, a nouo hoc geographo conſtituitur. An noua haec ſententia non ſit *ex meris vmbris conflata*, iudicio lectorum ſubſterno.

XXXIV. Sed enim Belo-Chrobati non tantum in Francos, ſed etiam in Bohemanos transmutari debent, vt Auares, vltra Tibiſcum a Carolo reiectos, infeſtare poſſint. Aduerſarius igitur Bohemos, quos ad Granum antea, iam ad Tibiſcum ſl. protendit. *Nam* inquit, b) *quum Caganus, Auarum princeps, e Dacia Carpathum verſus transferri ab imperatore petierit, et quidem propter Bohemanorum infeſtationem; in eo feſſo eſt, Bohemanos vicinos Daciae atque adeo Tibiſco fuiſſe: alioquin in Auares per totam Morauiam eis eundum fuiſſet.* Immo per totam Belo-Chrobatiath; iam vt ſupra definiuit, c) *a Tbiſco vsque ad hodiernam Boheniam ſua habebant olbi Croatae.* Iam video, Bulgaris, quos anonymus Tibiſco circumfundit, inde

a) *Ibid. p.* 65. b) *Ibid. p.* 66. c) *Ib. p.* 63.

inde fugiendum esse, postquam illuc admirandus hic geographus et Chrobatos, et Bohemanos induxit. *Intellexisti temetipsum, quum haec scriberes?* Potiori iure hoc ex illo, quam is ex me, quaerere possum; quum Eginhardus non dicat, Caganum illum ex Dacia mutationem petiisse, nec omnes Auares ex Pannonia submotos esse, nec sit absurdum, ex vna parte Pannoniae superioris ad aliam securiorem transferri velle. Et quia Bohemi citius et facilius ad infestandos Auares, in superiore Pannonia relictos, per Austriam aut Morauiam, quam ad Auares alios, vltra Tibiscum propulsos, per Albam Croatiam, *a Tibisco vsque ad hodiernam Bohemiam* porrectam, irrumpere poterant; nonne merito possum hanc eidem exclamationem aptare: a) *Hui sapientem criticum*, immo hypercriticum, *vti talia commenta pro lubidine, sine teste, domi nascuntur!* Cur vero criminetur, *extra rhombum* me saltasse, non video. Cur enim in situ Morauiae p. 107. dicit, *Eginhardum Pannoniae superiori ex aduersa Danubii ripa opponere Bohemanos?* Nonne propterea, quod *reuersus exercitus dicatur per Boemanos iter suum relegisse?* Quum igitur hoc iter explicui; non *extra rhombum saltaui.* Veteres autem Bohemanos *oppositam Danubio ripam* tetigisse, nondum est certum, *ad Tibiscum vsque protensos non fuisse*, certissimum, vt paullo post vberius videbimus.

XXXV. Merito mirabar, aduersarium ab anonymo Belae notario, quem alias odio Vatiniano

a) *Ibid. p.* 67.

perſequitur, auxilium emendicaſſe; docuique, Morauos ab eo cum Bohemis confundi, ceterorum patriae ſcriptorum exemplo, qui regionem illam, etiam poſtquam Morauia dicta fuit, Bohemiam dixerunt. Fruſtra proinde gloriatur: *a*) *anonymum pro ſe contra me, ſuum adoratorem, teſtimonium dicere.* Fruſtra calumniatur, me huius ſcriptoris *adoratorem* eſſe, cuius *omnem narrationem ac opinionem meam me facere nolle*, iam in examine meo praefatus ſum. Fruſtra criminatur, *meras me falſimonias ſcripſiſſe*, me *turpiſſime lectoribus impoſuiſſe*, quum aiebam, anonymum Bohemanos pro Morauis accepiſſe; quum eum tunc morem obtinuiſſe, ex aliis patriae ſcriptoribus oſtenderim. Miror autem, a me hominem alias ſagacem in glaciem inductum fuiſſe; quum argumento meo conuictus, in examine propoſito p. 62 *Bohemiam*, non ad Granum, vt prius, ſed *ad Tibiſcum vsque protendit*, oblitus, ſe paullo prius Albis Croatis hanc regionem aſſignaſſe. Quid iam liberaliſſimus iſte regionum diſtributor, qui ditionem Ottonis imp. ad Tibiſcum vsque porrexit, *b*) in terra Iazigum Metanaſtarum Morauis poſſidendum relinquet? Ego Bulgaricum regnum, ſcriptoribus Graecis et Germanis non ignotum, in eodem loco, quo Belae notarius illud collocauit, relinquo, licet illud aduerſarius tam Belo-Chrobatis, quam Bohemanis aſſeruerit ac demum Ottoni donum dederit.

XXXVI.

a) *Ibid. p.* 68. *b*) *Ibid. p.* 64.

XXXVI. Oſtenſurus aduerſarius, *a) in terris, Nitriae circumfuſis, nullam fuiſſe Morauiam*, vtitur vel potius abutitur fragmentis quibusdam litterarum pontificiarum, quibus ad Morauiae ducem datis, innuitur, *in inferioris Pannoniae atque Maeſiae regionibus, quarum prouinciae ſunt Auaria atque Morauia, ſeptem epiſcopatus exſtitiſſe, Romanorum quoque Gepidarumque aetate.* Hinc concluſit in ſitu Morauiae p. 75. *intra ambitum ſeptem illorum epiſcopatuum Morauiam collocandam eſſe.* Ad haec in examine meo p. 46. repoſui, *epiſtolam Eugenii II. inſcriptam fuiſſe non tantum Moymaro, ſed ante hunc etiam Turundo: non tantum ducibus et optimatibus Morauiae, ſed inprimis Hunniae, quae et Auaria dicitur.* -- *An igitur*, quaerebam, *ex fide harum litterarum intra ſeptem illorum epiſcopatuum ambitum ſola Morauia, non item Auaria ſtetit?* -- *Dicit Eugenius*, ſubiiciebam, *in Auaria Morauiaque, Romanorum et Gepidarum aetate, ſeptem epiſcopatus fuiſſe, ſed non dicit, Auariam et Morauiam vltra Romanorum et Gepidarum terram limites ſuos non extendiſſe.* -- Quaerebam igitur: *Quid opus erat oſtendere, neque Romanos, neque Gepidas in hodierna Morauia rerum potitos fuiſſe?* Reſpondet aduerſarius per id, quod erat in quaeſtione! *b) Id peropus* fuiſſe; *ſi Morauia vetus intra limites Romanorum Gepidarumque continebatur.* Atqui nec ex Eugenii litteris, nec aliis argumentis oſtenſum eſt, Morauiam veterem vltra limites Romanorum Gepidarumque non procurriſſe, vel limites

a) Ibid. p. 69. b) Ibid.

Gepidiae Danubium numquam excessisse. Nondum igitur intelligo, cur quaeri non potuerit: *Quid opus fuerit* — Nec illud intelligo, cur cetera, quae hic depromseram, *extra rhombum esse* dicantur. *a*) Dixeram enim, *non exacte Gepidarum limites illum designasse*: quod Procopii testimonio docui, qui perhibet, illos *olim Sirmium Daciamque omnem obtinuisse*. Hinc consequebatur, septem episcopatus, in ditione Romanorum Gepidarumque comprehensos, *sola Pannonia Maesiaque* coarctari non posse; quum *omnis Dacia*, quam Gepidas olim obtinuisse, Procopius testatur, extra Pannoniam ac Maesiam sita fuerit. Sed nempe hoc, quia nimis illum premit, *extra rhombum est*. Nec similitudines in historia patitur, quibus tamen ipse quoque frequenter vtitur. Sed enim, quod illi, non per illum mihi, licet. *Extra rhombum, verborum aucupium, mala fides*, vsitatae sunt aduersarii responsiones, quoties grauius premitur.

XXXVII. *Quae*, scribit, *ad epistolam Boioariae episcoporum reposuisti; malam fidem tuam et admirandum verborum aucupium arguunt.* Vt nunc vidimus, extra rhombum non fuisse, quod extra rhombum esse iactabatur; ita, num hic verborum aucupium et mala fides inueniatur, exploremus. Inprimis mala fide *peior* mihi tribuitur in hac argumentatione, quam ex eius verbis in exam. p. 40. ita confeci: *Episcopi venerunt in Pannoniam; inde transiuerunt in Morauiam; ergo Morauia in Pannoniarum et Maesiarum finibus steterit.* Hanc ar-

a) *Ibid. p.* 70.

argumentationem ego non refero, tamquam ab aduerſario his verbis expreſſam, ſed tamquam ex eius verbis a me deductam, vt indicaui, haec ſubiungendo: *Per figuram interrogationis hic ſenſus tegi tollique non poteſt.* Si propter ratiocinium, ex alterius verbis elicitum, alter malae fidei poteſt poſtulari; quid dicendum de meo hoc aduerſario, qui mihi hanc argutationem appegit: *a) Anonymi Slauorum hiſtoria ante Neſtorem fortaſſe exſtitit; anonymus hic fortaſſe Neſtori praeluxit: anonymus hic multa peccat; ergo Neſtor multa peccat.* Sed illi licuit, ſine verborum aucupio notaque malae fidei ridiculam hanc argutationem ex ſuis, non meis verbis effingere; mihi non licet vllam argumentationem ex eius verbis eruere. Nam, licet haec propoſitio: *Inde tranſiuerunt in Morauiam*, apud eum his verbis expreſſa, non reperiatur; an non tamen eadem his illius verbis in ſitu Morauiae p. 53. continetur: *Venerunt tres commemorati epiſcopi in Pannoniam: porro venere iidem epiſcopi -- in terram Morauorum: quid? dubium adhuc eſſe poteſt Morauiam in Pannoniarum et Maeſiarum finibus ſtetiſſe?* Vix ouum ouo ſimilius, quam mea huic argumentationi; cur igitur de mala fide poſtulor? *Haec*, inquit, *b) propoſitio:* Inde tranſiuerunt in Morauiam, *apud me nusquam gentium reperitur.* Atqui huic aequiualet: *Porro venere iidem epiſcopi -- in terram Morauorum.* Maeſiam in praemiſſis ſyllogiſmi, quem illius verbis retuli, nec ego, nec lectores, quos *tam curto*

a) *Ibid. p. XII.* b) *Ibid. p. 71.*

viſu natura non donauit, vt de me cauillatur, videre vel potuerunt, vel poterunt, etiamſi centies illum legerint et relegerint. Porro me iubet *a*) *inſpicere libri ſui p.* 53. *l.* 10. *et erubeſcere.* Inſpexi; nec tamen erubui; quum linea 10. ſyllogiſmum, a me productum, non ingrediatur. Nam ego, toties proclamatus Peripateticus, exponendis vitiis ſyllogiſmi quondam aſſuetus, quum Maeſiam, quam in praemiſſis non videram, in concluſione viderim; non mirari hanc artem ſyllogiſticam non potui. Quare vitio mihi dari non debet, quod ad caſtra Peripateticorum toties tranſeam, et diſtinctionibus inde depromtis litteras pontificias nihil aduerſario prodeſſe doceam.

XXXVIII. Poſt haec aduerſarius altiore tono me doli poſtulat, quod in examine p. 42. haec ſcripſerim: *Quum id praecipue mihi propoſitum ſit, vt oſtendam, Suatoplugi Morauiam in Maeſias fuſam non fuiſſe; parum ea moror, quae de Nitria diſſeris. Optaſſem tamen, vt ea monumenta ſcriptorum excitaſſes, quibus doceatur, Gorasdum, epiſcopum Nitriae, Graecum fuiſſe; quum conſtet, Graecos ſui ritus admodum tenaces eſſe.* Ille, neſcio, quem dolum in candido hoc voto meo ſuſpicatus, *O plenum doli deſiderium!* exclamat, *nonne te id docui, adductis fide digniſſimis teſtibus p.* 60. *lit. c. b*) *Et auſus es indere lectoribus tuis contrariam de me opinionem?* Meum absque dolo deſiderium erat, *vt ea monumenta ſcriptorum excitaſſes*; non, vt eos ſcriptores tantum citaſſes: quos

a) *Ibid. p.* 72. *b*) *Ibid. p.* 73.

quos quum ego tunc prae manibus non habuerim; in examen vocare non potui: difficultatem dumtaxat oppoſui de Graeco ritu repudiato. Poſtquam autem monumentis illorum ſcriptorum, incertum, qua de cauſſa, non excitatis, anonymi de conuerſione Carantanorum, ad ſententiam hanc de Nitria confirmandam, verba producta ſunt; haec in examen me vocaturum promiſi. Quumque promiſſis ita ſteterim, vt alia quoque huius anonymi verba produxerim et excuſſerim; neſcio, cur dicar, *magno promiſſor hiatu hic verba dediſſe.* Nusquam ego promiſeram, argumenta, quae de Nitria producuntur, in examen me vocaturum. Immo palam initio ſtatim profeſſus ſum, me *parum ea morari, quae de Nitria diſſeris;* quum id praecipue propoſitum mihi fuerit, vt oſtenderem, Suatoplugi Morauiam in Maeſias fuſam non fuiſſe. Verba ſcriptoris anonymi de conu. Carantanorum in examen ideo vocaueram, vt oſtenderem, huius teſtimonio male Morauiam in Maeſiam transferri. Cum hac autem quaeſtione coniunctam fuiſſe ſuam de Nitria ſententiam, aduerſarius ipſe his verbis in ſitu Morauiae p. 6. fatetur: *Adiuuat mirifice hanc de Nitria ſententiam anonymus conuerſionis Carantanorum ſcriptor.* An autem hoc telum ex aduerſarii manibus non excuſſerim; lectores ipſos iudices conſtituo. Legant in examine meo paginas 42. 43. 44. 45. Videbunt illic, anonymum de conu. Carant. adeo non fauere ſententiae de Nitria Morauiaque Maeſiae, vt eam potius euertat. Videbunt, *proiectas aliquot de Moymaro, de Ratbodo, de Priuina propoſitiones*, in

medio non esse relictas, ac aduersarium tot difficultatibus fuisse constrictum, vt, quum ex iis explicare se se non potuisset; ad conuicia, vetularum arma, confugerit. Videbunt, me *cum promissis fidem non deseruisse; examen argumentorum de Maesia*, de qua potissimum agebatur, *instituisse*; neque *thrasonice*, sed optimo iure *gloriatum* fuisse, me, quae de Maesiis ex anonymo laudato depromebantur, *argumenta refellisse*.

XXXIX. Mirum vero, post tot calumnias in me iactas, primum hunc *humanitatis* professorem ita sibi moderari, vt me, quem alias *amentem et insanum* fecerat, hic *stultum* aperte non dicat, tritum carmen ita referendo: a) *Hoc faciunt, quos gloria vexat inanis*. Quis tantam moderationem non suspiciat? Quantum autem ipse sit auersus a gloria; hoc eius epiphonema docet: *Haec, vt vides, mea est, sed non de nihilo gloria*. Nempe putat, argumenta sua de Nitria, quod ea tunc non refellerim, *pro confessis* esse habenda. Atqui caussas alias non refellendi habui: nempe, quod de Maesia potissimum sollicitus fuerim; quod testimonia citata prae manibus non habuerim; quod, quum praecipue RR. Salagius eo loco lacessitus fuerit; eum pro se responsurum esse, non dubitauerim. Quod quum ab eo factum non fuerit; nunc ad ea, quibus potissimum aduersarius gloriatur, respondebo. Huc pertinebat iam tunc illa quaestio: an illud: *supra Danubium*, ad Moymarum, an ad Priuinam et Radbodum referatur; quam

a) *Ibid. p.* 74.

quam aduerſarius *ad imponendum lectoribus* fuiſſe motam c..mniatur. *a*) Ab illo quidem non quaerebatur: *cuius ea portio fuerit ſupra Danubium*; a me tamen quaeri debebat, vt ſuo loco Nitria relinqueretur. Nitrauam quidem in dioeceſi Salisburgenſi ſtetiſſe, non item, hanc ex parte ſeptemtrionis Danubio finitam fuiſſe, probatum eſt: quod erat praecipuum aduerſarii fundamentum. Nec enim propterea, quod *iurisdictio praeſulum Salisburgenſium Pannoniam inferiorem, Carantaniam vicinosque Slauos complexa fuerit*, inferri poteſt, eam *Danubium nequaquam exceſſiſſe*. Immo hoc ipſo, quod vicini Slaui, quos ditio Priuinae, Salisburgenſi dioeceſi comprehenſa, complecteba-tur, *vltra Danubium* ſita fuerit; Salisburgenſis quoque dioeceſis limites *vltra Danubium* extendebantur, vt ex hac anonymi ſententia liquet: *Priuinae quondam Adalramus archiepiſcopus vltra Danubium in ſua proprietate, loco vocato Nitraua, conſecrauit eccleſiam.* Quam violente voces: *vltra Danubium*, per verba: *cis Danubium*, aduerſarius explicet, *b*) nemo non videt. Haec tanta vis anonymi verbis infertur, vt Nitraua non *trans Danubium*, vbi hodie Hungarica Nitria ſtat; ſed in Maeſia, quae huic anonymo *cis Danubium* erat, conſtituatur. Ad confirmandam hanc explicationem adducitur teſtimonium Porphyrogeniti, qui dicitur perhibere, *Morauiam magnam prope ruderа pontis Traiani inchoaſſe*. Sed haec de Turcia, non de Morauia, Conſtantinum perhibere, iam alias oſtendi. XL.

a) *Ibid. p.* 75. *b*) *Ibid. p.* 76.

XL. Poſt haec ego rurſus grauiter accuſor, *a*) quod me *Nitriam hanc, de qua ſermo, non morari* dixerim. Cur tunc id non fecerim, iam cauſſas attuli. Nulla vero mihi neceſſitas fuit, oſtendendi, has voces: *vltra Danubium*, idem ſignificare, ac: *trans Danubium*, hoc enim, quisquis Latinum idioma nouit, intellexit. Quare non video, cur me primus hic *humanitatis* profeſſor his laudibus oneret: *Inſtar ſerpentis, ſinuoſa volumina torquentis, miſces omnia, vt me obſcuritatis compertum reddas, quaſi teetum Peripateticorum tenebras coluiſſem.* Felix aetas, quae hunc e Peripateticorum tenebris liberauit! An non tamen aliquid tenebrarum habeat illius explicatio, qua vult perſuadere, voces: *vltra Danubium*, idem ac: *cis Danubium*, ſignificare; an non tunc *inſtar ſerpentis, ſinuoſa volumina torquentis, miſceat omnia*, beneuolus lector aeſtimet. *Haec*, inquit, *b*) *verba*: vltra Danubium, *anonymo non ſignificant idem ac*: trans Danubium; *ſed ſignificant idem ac*: ſupra Danubium. — *Quia ipſe anonymus ſuum illud*: vltra Danubium, *explicat alio loco per voces*: ſupra Danubium. *Hoc autem loco voces*: ſupra Danubium, *non ſunt idem ac*: trans Danubium, *quia vocabulum*: Supra, *opponitur voci*: inferior. Intelligis iam, lector, ex clariſſima hac explicatione, quae nihil ex Peripateticis tenebris admixtum habere poteſt, voces has: *vltra Danubium*, idem ſignificare quod *ſupra Danubium*, ſeu *cis Danubium?* Iamne ſcis, Nitrauam, quae fuit *vltra Da-*

a) *Ibid. p.* 77. *b*) *Ibid. p.* 78.

Danubium, ſcriptori Salisburgenſi fuiſſe *cis Danubium* et in Maeſia? Iamne capis, quomodo *Priuina*, qui ditionem *vltra Danubium* habuit, *exſulatus a Moimaro, duce Marauorum ſupra Danubium*, hoc ipſo quod *vltra Danubium et ſupra Danubium* prius habitauerit; in Maeſia, quae *cis Danubium* erat, habitauerit? Quanta haec lux eſt! ad quam Peripateticorum vmbrae diſpareant, eſt neceſſe.

XLI. *Poſtremo*, vrget aduerſarius, *a*) *iter Priuinae deſcribis; ſed, quod omnium maxime neceſſarium fuit, an illam fugam ab Nitria Hungarica in Maeſiam adornauerit, altiſſime taces.* Omnium minime neceſſarium fuit quaerere, an Priuina *fugam ab Nitria Hungarica in Maeſiam adornauerit*; quando clariſſimis verbis anonymus de conu. Carant. aſſerit, illum *ad Ratbodum* veniſſe, qui non Maeſiae, ſed inferiori Pannoniae praefuit. Scio, cur ille de Maeſia tantopere ſollicitus ſit. Vt enim Priuinae ditionem ac Nitrauam in Maeſiam transferret; verbis anonymi laudati ſic abutitur in ſitu Morauiae p. 64. *Dicit enim anonymus, Priuinam, Moravia electum, fluuium Sauum tranſiſſe et in Pannoniam inferiorem veniſſe.* Si hoc anonymus dicit; ſi Priuina, Morauia depulſus ac in Pannoniam inferiorem iturus, Sauum tranſire debuit; dici quoque poteſt, Morauiam illam, ex qua Priuina pulſus eſt, in Maeſia fuiſſe. Sed, vbi hoc anonymus dicit? Si nusquam dicit; an non merito dicere iocarique poteram examinis p. 145. *Si Priuina, dum in Pannoniam inferiorem e Morauia profectus*

a) *Ibid. p.* 77.

ctus eſt, Sauum tranſiſſe non dicitur; me non monente, quiuis obſeruabit, quale ſit hoc argumentum, e Sauo fluuio hauſtum, an ſolidum, an liquidum, an commenticium? — An non merito quaerere poteram: *Vt quid tam aperte, tam audacter anonymi verbis ad firmandas imaginationes tuas abuteris!* Quaerit ille, num haec oſtenderim; ſubiicitque, *non ratione*, ſed *ſilentio* me hoc oſtendiſſe. Neſcio profecto, quid cum eiusmodi homine ſit agendum, qui, quod ignorare non poteſt, factum negat. Eſtne hoc ſilentium, quum ex anonymi verbis argumentum a Sauo traiecto ducitur, et recitatis anonymi verbis, Sauus traiectus, quum Priuina Pannoniam inferiorem ex Maeſia petiiſſe dicitur, non inuenitur? Eſtne hoc veritati ſtudere, quum id anonymo, quod non habet, appingitur: ac inde, tamquam id haberet, argumentum ducitur? Nihil aduerſarius habuit, quod his opponeret, praeter conuicia, ad quae toties maiore cum ſtrepitu verborum recurrit, quoties magis ſtringitur et argumentis ad reſpondendum deſtituitur.

XLII. At hic tandem non tantum conuiciis, ſed etiam argumentis reſpondet. Videamus, quomodo? *Hic*, inquit, *a) princeps* (Priuina) *poſſidebat Nitriam.* Nullus id negat. *Haec Nitria fuit nobis trans Sauum.* Id negatum refutatumque iam eſt. Hac aſſumtione collapſa, totum reſponſum collabitur. Infirmitas argumenti rurſus innuitur per nouum conuicium, quod numquam deeſt, quoties argumentum deeſt. Quum haec verba re-

ci-

a) *Ibid. p.* 78.

citaſſem exam. p. 42. *Ratbodus ſuſcepit defenſionem termini;* per parentheſim adieci: *Pannonici;* neue quis hanc anonymi vocem eſſe putaret; eamdem non tantum parentheſi clauſi, ſed etiam diſtinctis litteris expreſſi. Quid ille? *Hanc*, inquit, *vocem, apud ſcriptorem conuerſionis Carantanorum nullibi occurrentem, more tuo, ex arcanis criticae tuae, anonymo aſſuiſti.* Haec arcana, quibus obſcuriora ſcriptorum loca per adiectionem vocum aliquarum, cum ſententia tamen auctoris ipſius non confuſarum, explicantur, criticae meae propria non ſunt, omnibus ſcriptoribus communia ſunt, aduerſatio quoque non ignota ſunt: apud quem anonymus alter, nempe Belae notarius, ſic explicatur in ſitu Morauiae p. 108. *Tunc temporis factus eſt* (ſcilicet Nitriae) *dux Bohemorum Zubur.* Plura hanc in rem exempla paſſim apud illum occurrunt. Sed, nempe, quod illi licet, vt ſaepe iam obſeruauimus, mihi per eum non licet. Videamus autem, quomodo me corrigat: *Non Pannonici*, ſcribit, *ſed comitem termini ditionum Ludouici, quae tunc vltra Sauum ea ex parte cum Pannonia procurrebant.* Ergo tamen *Pannonici.* Quid eſt vitilitigatio? quid aucupium verborum, quod mihi toties obiicitur; ſi hoc non eſt? ſed enim hoc aucupio verborum aduerſarius hic opus habuit, vt Ratbodum vltra Sauum transferret, ne hunc Priuina, quum ad illum iuerit, traiicere debeat. *Itaque*, ſubiicit, *Priuinae, ad Ratbodum fugienti, Sauus nequaquam traiiciendus fuit; alioquin nec anonymus iſtud memorat.* Optime. Sed quomodo haec cum argumento, quod

ex

ex anonymi verbis elicitum iactabatur, conciliabuntur: *Dicit anonymus* (quod tamen hic iam non memorat) *Priuinam, Morauia electum, fluuium Sauum transisse et in Pannoniam inferiorem venisse?* Si hoc anonymus non dixit, quod prius dixisse dicebatur, eritne solidum, an commenticium argumentum, quod ex eo, quod non dixit, eliciebatur? Hi sunt ingenii mei partus, quos primus hic *humanitatis* professor ita derisit: *Verbosi quidem sunt: gloriae et iactantiae pleni sunt: nodosi sunt: sale carent: inde adeo barbaros credebam; sed video, tuos esse.* Haec sunt argumenta, quibus, constrictus, apud imperitos fucum facere conabatur; apud eruditos rerumque gnaros risum et sibilum merebitur. Et tamen hic, veluti victor, ita gloriatur: a) *En argumentum, e Sauo haustum, non liquidum, non commenticium, sed verbis anonymi consertum, et ita intritum, vt nullum tuo simile ingenium, etsi per omnia triuia Scomata conquirat, illi sit exedendo.* Iis, qui rem intelligunt, addere nihil opus est, vt iustam sententiam ferre possint. Illi vero, quibus alter Priuinae transitus ad Ratbodum, quem per Sauum instituit, fucum facere posset, ea, quae iam alias exam. p. 45. de hoc transitu scripseram, consulere velint.

XLIII. Si tam bonis auibus de Moymaro, quam de Priuina, quod aduersarius innuit, ago, salua res est. Et certe, quia Morauia, cui Moymarus praefuit, et ex qua Priuina pulsus fuit, eadem erat; sicut aduersarius Priuinam, ita nec Moy-

a) *Ibid. p.* 79.

Moymarum, ex ea Morauia, quam in Maesia condiderat, bene deduxit. Sed hic iterum iniuriae cum iniuria maiore postulor. *Nam inprimis*, inquit, *in Nestorem iniurioſe ſane et plane extra rhombum more tuo debaccharis.* Videamus, an extra rhombum, an iniurioſe. Poſtquam aduerſarius de Moymaro haec in ſitu Morauiae p. 73. ſcripſiſſet: *Quid? quod indubium ſit, Moimarum earum fuiſſe partium dominum, quibus ſubinde praefuit Ruſtices, Moimari nepos. — Ruſticem hunc in Morauia Illyrici, Pannoniis adſita, rerum potitum fuiſſe, inuicto argumento oſtendi ſupra:* quum inuictum hoc argumentum *ſupra* quaeſiuiſſem, in teſtimonium Neſtoris ibidem incidi p. 6. Quum igitur argumentum illud infirmum, non *inuictum* fuiſſe docuiſſem; an *extra rhombum ſaltaui?* Quam iniuriam eidem intuli; quum argumentum, ex illo male detortum, eneruaui? Videatur examinis p. 46. Nullum ibi ſcoma legetur, de quo hic aduerſarius queritur ac liberaliter in me remetitur. Agnouit ille, ſibi teſtimonium Neſtorianum non fauere; quare non iam Neſtorem, ſed *annales Franc. fuldenſes inuictum hoc argumentum ſuppeditaſſe*, ſcribit. At quomodo hic *inuictum* illud argumentum dicitur; quod *in ſitu Mor. p.* 31. *non obſcurum* eſſe tantum innuitur? Et certe non minus illud Morauiae hodiernae, quam Maeſiae congruit, vt conſideranti patebit. Deberem igitur mirari, tot me conuiciis ab hoc primo *humanitatis* profeſſore propterea laceſſi, niſi iam experientia doctus eſſem, inopiam argumentorum id genus ſupplementis ab illo ſolere farciri. Quare, quum ſequentes quoque pa-

gi-

ginae huiusmodi conuiciis perſtrepant; ea vas vacuum et argumentorum defectum indicant.

XLIV. Inprimis indignatur ſimilitudini; *a*) quam ex hiſtoria domeſtica produxi, miraturque, *b*) *me tam annoſum hiſtoricum, profiteri auſum, S. Stephani iuribus obnoxiani fuiſſe prius Tranſſilvaniam, quam eam bello in ius ſuum tranſtuliſſet*, id eſt, reduxiſſet. Id vero diſcere poterat ex argumentis, in hiſtoria mea productis: quae quum non attigerit, nedum refellerit; nouam hic diſputationem non ingrediar. *Oras Nitrienſes auitas fuiſſe Suatoplugi*, docent hiſtoriae domeſticae, quibus tamdiu fides derogari non poteſt, quamdiu teſtimoniis certioribus earum auctoritas eliſa non fuerit. Odit aduerſarius ſimilitudines in hiſtoriis, quibus tamen ipſe quoque ſaepius vtitur. Sed plus illi ſemper licuit, quam mihi, quem non multo prius aſpere redarguit propter inſertam anonymo vocem *Pannonici*; quamuis et virgulis, et litteris ab anonymi verbis illam diſtinxerim. Hoc idem ille ſine piaculo, quod mihi prohibuit, hic facit, verbis meis vocem *Tranſſiluanam* inſerendo. Subinde *lectores aequos appellat*, *c*) quibus et ego lubens arbitrium huius litis defero.

XLV. Tacere tamen non poſſum, quum fidem meam iterum iterumque vellicat: et quia hic rurſus altiore tono calumniatur; certiſſimum indicium eſt, illum argumentis meis nimium premi; nec habere quicquam, quod iis opponat, praeter conuicia, quibus omnem paginam inficit, *Primo*, in-

a) *Ibid. p.* 80. *b*) *Ibid. p.* 81. *c*) *Ibid. p.* 82.

inquit, a) *quae egomet mihi obieceram; haec tu, nudis amplificata verbis, mihi quoque obiicis.* Nihilne praeterea? Quis illum legit ſibi chronologicas difficultates obieciſſe, quas ego non ſemel eidem obiicio? *Quae ego*, pergit, *obiectis repoſui; illa ſubticet.* Quae ſunt illa, quae vel ſubticui, vel contrariis argumentis non eliſi? Vidimus, illum ad annales Bertinianos, reiectis Fuldenſibus, et ad chronicon Herueldenſe Hildesheimenſeque confugiſſe. Num haec ego teſtimonia ſubticui? num ea cum annalibus Fuldenſibus conciliari poſſe non oſtendi? Quis vero non miretur illum quaerere, b) *qui ſint eruditi illi, qui per Douinam Diuinium, ad confluentem Morauae Danubiique ſitum, intellexerint;* poſtquam ipſe ſcripſit in ſitu Moraiiae p. 110. *Douinani niultorum opinione oppido Diuinio, ad confluentem Morauae et Danubii ſito,* reſpondere? Cur igitur quaerit, quod ſcit? Tabula haec eſt, quam naufragans arripit. Quum ipſe *multos* huius opinionis nouerit; ſufficiat mihi duos, Belium et Praium, nominare, quorum quidem loca, quum ruri nunc agam, nec eorum opera prae manibus habeam, citare non poſſum; eos tamen eiusdem eſſe ſententiae memini.

XLVI. Cur errorem annalibus Fuldenſibus aduerſarius adfinxerit; non *in intimo cordis* repoſitum, ſed in libro palam expreſſum fuit. Certe, ſi verum ſit, quod Fuldenſes habent, Radislaum, Moraiiae regem, trans Danubium fuiſſe dominatum; praecipuum argumentum pro Moraiia per

E Mae-

a) *Ibid. p.* 83. b) *Ibid. p.* 84.

Maeſiae partem fundenda corruet. Ex eo, quod in exam. p. 66. dixerim, *ex legibus ſanae criticae pluribus et aeque vetuſtis teſtibus plus eſſe credendum, quam vni*, hypercriticus noſter infert, *mihi ſanam criticam eſſe prorſus ignotam*; nec tamen docet, hoc principium eſſe contra ſanam criticam, iuxta quod ſcripſi, quum *chronicorum auctores idem prorſus breuiter affirment, quod vberius annaliſta Fuldenſis narrat; annalium potius Bertinianorum, quam Fuldenſium fidem in dubium eſſe reuocandam.* Texit deinde longum catalogum auctorum, quos annalibus Fuldenſibus contrarios eſſe putat, non probat: ac tandem epiphonemate calumnioſo, ſibi iam vſitato, me *fraudulentum hominem* facit, *a*) ſed non oſtendit. Hoc fuit fortiſſimum argumentum, ideo pro fine reſeruatum, poſtquam infirmiora, ſeu minora conuicia, praeceſſerunt. Poſtquam errorem, a ſe commiſſum, in annalibus Francoſuldienſibus citatis aduerſarius agnoſcit; quum huic errori, quicquid in chronologiam ab illo peccatum eſſe, primo loco dixeram, innitatur; illud non dictum intelligatur. Quis tamen non miretur, eum, qui prior errauit, ac alterius errori cauſſam dedit, tantopere huic inſultare: *Hui*, inquit, *b*) *criticum!* -- *Hui ingenium!* Huic tanto plauſui cauſſam ego propterea dedi, quod fontem, quem non habebam, non conſuluerim, aduerſarioque, male citanti, fidem adhibuerim. Eſtne hoc delictum tanto triumpho dignum? Sed manet alter ab eodem aduerſario de Suatoplugo com-

a) *Ibid. p.* 85. *b*) *Ibid. p.* 86.

commissus error chronologicus, ab illo tamen, hic tantopere plaudente, fidelissimo silentio transmissus ac ita dissimulatus, vt audacissime rursus ita triumphet: a) *Videsne iam accensum lumen ex chronologia, quam manifeste nobis dat tuam in his rebus, quas examinandas suscepisti, scientiam?* Quis vnquam profligatus miles ita sine fronte triumphauit?

XLVII. Erroris item me conuincere conatur, quod cum RR. Salagio tres Slauicae gentis principes recensuerim. *Quare*, quaerit, *hoc loco iam quatuor memoras, nempe Moymaruni, huius filium, deinde Rasticeni nepotem, postremo Suatoplugum?* At at, quis Moymari filium inter Slauicae gentis principes retulit? Estne prorsus idem, filium principis et gentis principem esse? *Vbi autem mansit*, vrget, *quintus? totiesiam memoratus Priuina.* Vbi mansit, cur vltra non quaeritur, Hezilo filius, Brazlauo nepos eiusdem Priuinae? Fueruntne hi totius gentis Slauicae principes? Annalista Bertinianus nec in locis, ab aduersario nunc excitatis, affirmat, *Ludouicum in marcam Vinidorum reipsa penetrasse; nec Ratislaum bello petitum, nedum victum.* In nouis quidem testimoniis Rasticius vel Restlcius Vinidorum regulus dicitur; an tamen hic Rasticius, Vinidorum regulus, idem cum Ratislao, Marahaniae principe, fuerit; an hic in marcha Vinidorum *rerum potitus*, incertum manet. Non igitur video, quorsum haec aduersarii calumnia pertineat: *Grandiore tui ipsius idea te*

a) *Ibid. p.* 87.

impleuiſti, quam vt argumentis tam euidentibus loci quidpiam relinquas? Quae ſunt argumenta tam euidentia, quibus Ratislaus, Marahaniae princeps, in marcha Vinidorum et rerum potitus, et a Ludouico victus fuiſſe doceatur? Quid igitur obſtat, quominus idem ille Ratislaus a Ludouico Diuinii non tantum obſeſſus, ſed etiam ad obſides dandos coactus fuiſſe dicatur? Nam Ratislao Suatoplucum ſuffici non poſſe, quod aduerſarius innuit, ex chronologia docui. Suatoplugus enim, qui poſt Raſticem, in monaſterium anno 870. detruſum, Morauis praeeſſe coepit, ſex annis prius, quam Morauis praefuiſſet, a Ludouico rege bello peti non potuit. Bellum enim illud, quo haec acta ſunt, etiam annaliſta Bertinianus figit ad annum 864. Nondum igitur princeps ante laudatum annum 870. nec bellum ante ſex annos gerere, nec in Ratislao latere potuit.

XLVIII. Aduerſarius, Neſtorem defenſurus, hanc propoſitionem praeiicit: *a) Qui adhuc Neſtorem legerunt; nullus omnium fidem ei atque auctoritatem abrogauit.* Si haec eo ſenſu dicuntur, quod, quicquid Neſtor ſcripſit, verum ac indubitate credendum ſit; tantum Neſtori tribuitur, quantum nulli ſcriptori, praeterquam diuinitus inſpirato, tributum adhuc legi. Si vero haec dos infallibilitatis illi non tribuatur, propterea, quod in quibusdam errauerit, omnem eius auctoritatem deruere nec ego vel volui, vel volo. *Quis te docuit*, vrget ille, *b) fidem ſcriptoris vellicare, quem*

a) Ibid. p. 88. *b) Ibid.* p. 89.

quem nec legere, nec intelligere potuisti? Quum ignorantiam linguarum aduersarius mihi saepius obiiciat; nouerit, plures me iam libros, non tantum Graecos et Gallicos, sed et Germanicos, illustrandae historiae seruituros, in Latinum idioma transtulisse; Slauicos item, si qui tales forent, eo facilius possem, quo promtius hac lingua, quam ceteris, praeter Latinam et Hungaricam, vtor. Atque hinc ille responsum ad inuidiosam illam interrogationem desumat. Nestorem enim vtraque lingua potuissem intelligere; si potuissem illum habere. Quod igitur *nonnisi particulas quasdam, in Latinum traductas, apud scriptores forte occurrentes, legerim;* id non ob ignorantiam idiomatis, sed propter libri defectum accidit. Quis autem vmquam hanc vel sibi, vel aliis legem tulit, vt numquam vlus vel adhibere, vel refellere possit relatas ab aliis sententias auctorum, quorum opera non habet? Ergone nullus testimonio S. Augustini ceterorumque sacrorum et profanorum scriptorum vti possit, nisi qui bibliothecam, tantis voluminibus instructam, vel ipse suam habuerit, vel alienam consulere potuerit? Haec adhuc lex ignota scriptoribus erat. Sensus quidem scriptorum non ex vno verbo, sed ex antecedentibus et consequentibus propositionibus eruendus est; sed id plerumque fit, vt id genus antecedentes et consequentes propositiones in citationibus non omittantur.

XLIX. Aliam autem legem, ab aduersario per interrogationem ita propositam: *An, si vna in re aberrauit scriptor; iam vbique erroneus est?*

ambabus vlnis amplector. Nec mihi poterat haec quaestio poni, qui iam in examinis praefatione haec scripsi: *Si propter aberrationes nonnullas historicus aliquis explodi repudiarique penitus debeat; omnis historia profana finem brevi habebit.* Quare nec ego Nestorem vmquam reiiciendum propterea censui, quod illum aberrasse nonnumquam ostenderim. Quae deinceps ab aduersario generatim dicuntur, conuicia, non argumenta sunt; nec igitur vllo responso digna. Miror autem, illum quaerere, a) *quid in dubitationem trahamus*; quando clarissimis hisce verbis errorem circa Sirmiensem episcopatum in exam. p. 16. proposui: *Peccat, quum ab Hezilone Methodium ad episcopatum Sirmiensem prouectum fuisse tradit.* Id aduersarius, vt plus cauillari possit, ad episcopatum *Pannoniensem* trahit, quem adeo non negaui Methodio, vt eum etiam testimonio Ioannis VIII. confirmauerim. Quorsum igitur haec cauillatio; b) *Ioannes papa et Nestor vnus sunt?* Subinde Nestorem, Russiae scriptorem, a Maesia *non longe dissitum fuisse*, sic ostendit: *Quasi illi monachi, qui Slauicas litteras, ex Cyrilli et Methodii ore haustas, ad alium aliquem, hic ad Nestorem transmisit, non simul cum litteris Slauicis vitam quoque et sincera acta magistri Methodii edocere eum potuissent.* Si haec ego scripsissem; quanto cum libilo, quem alias expertus sum, inferretur: *Potuissent*, igitur edocuerunt? Sed hoc mihi non licet. Iam igitur, beneuole lector, intelligis, Nestorem, dum in Russ-

a) *Ibid. p. 90.* b) *Ibid. p. 91.*

Ruſſia ſcripſit, *non longe diſſitum* a Maeſia fuiſſe, quod erat in quaeſtione. Quia vero RR. Salagii verbis et auctoritate ſum vſus; ita demum me carpit: *Critice, non Neſtor ex Salagio, ſed Salagius ex Neſtore corrigendus erat.* Quaſi nempe Salagium ipſum, *qui 9. Seculis integerrimis ab re diſtabat*, non autem teſtes ſynchronos, ab illo laudatos, cum Neſtore contendiſſem.

L. Sed tandem Neſtorem per ſuum errorem ab errore liberat, dum ait: *a) Neſtor ipſe non dicit Methodium epiſcopum Sirmienſem: dicit tantum, quod papa Ioannes VIII. dicebat, epiſcopum Pannonienſem: a me, quod Neſtor alibi etiam Methodium Andronici ſucceſſorem appellat, Methodius pro Pannonienſi dictus eſt Sirmienſis.* Ingenui hominis eſt, errorem recantare. Sed lector honeſtus exiſtimet, an ingenui hominis ſit, alteri, poſt ſuum errorem agnitum, tam ſcurriliter inſultare: *b) Quum tamen addidiſſem, Methodium ſedem D. Andronici tenuiſſe; tuus totus ſcrupulus ad hanc ſedem rediit. Aues nimirum ſcire: an illa ſella lignea, in qua ſeſſus Andronicus animum ſuum deponebat, poſt tot ſecula ſuperfuerit, vt idem officium Methodio praeſtare potuerit.* Cultiſſimam hanc calumniam clarius ſubinde his verbis explicat: *c) Vt naris es non obeſae, tota quaeſtio, quam mouebas, circa illam ligneam ſellam, quam primum Andronicus, deinde Methodius poſteriore corporis parte occupaſſe ferebatur, verſabatur. Hoc eſt dignissimum tua patella operculum.* Dignum publico primoque pro-

a) *Ibid. p. 92.* b) *Ibid. p. 93.* c) *Ib. p. 94.*

feſſore *humanitatis* argumentum, ad quod in ganeis ſtabulisque reſponſum quaerat. Ita humaniſſimus hic ſcriptor errorem, quem e lingua Germanica, qua tantopere gloriatur, in Latinam vertendo Neſtorem, commiſit, excuſat, vt alium, a quo propterea traduci debuiſſet, foede traducat. Subiicit, *a)* me *de Neſtore hallucinatum eſſe*, quum illum *confundere tres Slauorum principes* dixi. Contendit enim, *a tribus Slauorum principibus miſſam legationem pro fidei et litterarum doctoribus*; quum iidem *ad ſingulos horum trium principum profecti ſint*. At enim, illos Slauos hanc legationem adornaſſe, Neſtor tradit, qui *ad Danubium inter Bulgaros degebant*. Eſtne hoc, quod aduerſarius contendit, *b) ſuis teſtibus comprobatum*, Slauis, qui Bulgaris ad Danubium immixti fuerant, tres illos principes, immo ſaltem vnum eorum, praefuiſſe? Quum Neſtor perhibeat, *Cyrillum linguae Bulgaricae condiſcendae cauſſa reuerſum eſſe*; li *Cyrillus et Methodius*, vt iterum aduerſarius vult, *c) ad Morauos, conuerſis iam Chazaris et Bulgaris, venit*; quid opus erat, *conuerſis iam Bulgaris*, Bulgaricam linguam condiſcere? Sed eſt illi hoc *verba*, non *rem captare*.

LI. Ex legatione, quam Ratislaus, Morauiae princeps, ad Michaelem imp. pro fidei doctoribus adornauit, nouum argumentum aduerſarius ad Morauiam in Maeſiam immittendam eruit. *Nam*, inquit, *d) ſi Ratislai ditiones Vago et Moraua flu-*

mi-

a) Ibid p. 95. b) Ibid. p. 96. c) Ibid. p. 97. d) Ibid. p. 98.

minibus cum aduerſariis conſtringamus; qua tandem via, quod in terra Chazarorum agebatur, huic innotuiſſe dicemus? Reſponſum illud, quo paullo prius aduerſarius Ruſſiam a Maeſia non longe diſſitam effecit, cur huc aptari non poſſet? Monachi, qui forte Cyrillo Methodioque ſuam operam in conuertendis Chazaris iunxerunt, alios etiam Slauos conuerſuri, Ratislaum acta horum apoſtolorum edocere *potuerunt*. Sed haec eſt tantum coniectura? ſicut illa. Certe nec ea, quae de Ratislao vel etiam Photio deinceps adferuntur, *a*) vltra coniecturam aſſurgunt. Argumentum, ex Porphyrogenito petitum, an firmius ſit, videamus. *Ad archontem*, inquit ille, *Chrobatiae, Serblorum, Zachlumorum, Canali Trabunorum, Diocleae, Morabiae ſic ſcribitur.* — Quaerit iam aduerſarius: *b*) *Quomodo archon Morabiae inter principes Chrobatiae, Serblorum &c. collocatur, qui nihil terrarum inter terras horum principum, atque adeo in Maeſia, poſſidebat?* Quaero viciſſim ego; quomodo archon Chrobatiae hos inter principes collocatur, qui nihil terrarum in Maeſia poſſidebat! Sicut igitur Chrobati, ſic Morabi mandatum ab imperatoribus orientalibus accipere potuerunt; licet Maeſiam non incoluerint. Quod ex annalibus Francoſuldenſibus narratur, peraeque poteſt aptari Ratislao, licet ditiones illius ibi conſtituamus, vbi reipſa fuerunt, vt iam alias dixi. Moraui non tantum *Margenſes* olim, ſed etiam *Marhenſes* et ſaepius *Marabenſes* dicebantur. Non minus igitur

a

a) *Ibid. p.* 99. 100. *b*) *Ibid. p.* 101.

a *Maro*, qui hodie Morauae, fluuio Morauiae, reſpondet, quam a Margo, quod aduerſarius vult, *a*) ſic appellari poterant. Neutra coniectura magni ponderis eſt: et tamen, quod hoc argumentum, a notatione nominis depromtum, non magni fecerim; arguit ille, *b*) me *pingui Minerua rhetoricatum eſſe.* Certe, quaecumque veſtigia Morauorum in Maeſia putat aduerſarius eſſe; cumulatius adſunt in Morauia hodierna, cuius caſtrum illud Moroaua fuit, vbi Henricus IV. cum Andrea I. Hung. rege, conuenit. De his autem Morauis, vltra Danubium ſitis, plura iam teſtimonia veterum vidimus: ad quos etiam Iuuauenſium praeſulum iurisdictionem fuiſſe porrectam, ex anonymo de conu. Carant. oſtendimus. Quare pergo non tantum dubitare; ſed auſim etiam negare, *Morauorum nomen in Maeſia natum eſſe.*

CAPVT IV.

LII. Quum anonymum Belae notarium aduerſarius incipit oppugnare; vix illi verba ſufficiunt ad varianda conuicia, quibus me, defenſorem eius, onerat. *Hoc*, inquit, *c*) *repones inter illa tua macerrima prolubia, quae ex aere verberato capere ſoles.* Mox ait, *d*) anonymi *oracula a me adorari;* de quo tamen ſenſa mea contraria non ſemel prodidi, non tantum in exam. p. 15.

a) *Ibid. p.* 102. *b*) *Ibid. p.* 103. *c*) *Ibid. p.* 104. *d*) *Ibid. p.* 105.

15. ſed etiam in prolegomenis hiſtoriae ducum, vbi plures illius aberrationes indico. Eſtne hoc, *eius oracula adorare?* Eſtne, *genuflexo fidem adhibere anonymo?* Mox alia conuiciorum genera primus iſte *humanitatis* profeſſor ſic accumulat: *a*) *Andabatarum more inuehebaris in me.* — *Hic te quidem militem, ſed nonniſi manipularium, probaſti: quamquam non tu hic manipulum feni in pertica; ſed in cornu habuiſti.* — Haeccine ſunt argumenta, quibus auctoritas anonymi tollitur? Meusne his, an ita calumniantis honor diminuitur? Petit aduerſarius, vt *oſtendam vnicum fontem*, quo noſter anonymus fuerit vſus. Ille quidem nullum nominatim prodidit; generatim tamen dixit, *ſecundum traditiones diuerſorum hiſtoriographorum* ſe ſcripturum. Mendacii nondum conuinci potuit; cur illi non credam? *Oſtende*, pergit, *ſcriptorem coaetanum aut vicinum egreſſui Hungarorum e Scythia et egreſſui eorum in Pannoniam.* Iam alias oſtendi Reginonem et annaliſtam Metenſem, ita ſcribentem: *Anno dom. incarn.* 889. *gens Vngarorum - a Scythicis regnis - egreſſa eſt.* — *Et primo quidem Pannoniorum et Auarum ſolitudines pererrantes* — Anonymus vero huius egreſſus ita meminit: *Anno dom. incarn.* 884. *ſicut in annalibus continetur chronicis, ſeptem principales perſonae, qui betumoger vocantur, egreſſi ſunt de terra Scythica verſus occidentem.* Iſte perhibet egreſſos e Scythia Hungaros an. 884. illi 889. ſed facile conciliari poſſunt; ſi dicamus, anonymum con-

a) *Ibid. p.* 106.

configuaſſe tempus, quo Hungari mouerunt e Scythia; hos autem annum illum, quo venerunt in hoc regnum. Nec enim iſti tam facile poterant annum, quo Hungari mouerunt, quam quo hue venerunt, noſſe. Quinquennium autem illud, quod inter illorum egreſſum e terris Scythicis et ingreſſum in has terras interceſſit, itineri tam longinquo facile tribui poteſt. Quis alius patriorum ſcriptorum cum exteris, coaeuis vel ſupparibus, tam bene conciliari poteſt? Ceteri Hungaros aduenisse tradunt anno 744. an rectius? an coaeuis ſcriptoribus conformius? Quis ſeu Graecorum, ſeu Latinorum egreſſum Hungarorum ad ſeculum VIII. cum Turotzio; quis non ad ſeculum IX. cum anonymo noſtro defixit? *Oſtende ſcriptorem talem*, vrget aduerſarius, *qui vel remote et quaſi in ſimilitudine oſtendat aliquid eorum, quae anonymus ſcriba de expilatis Ruſſis, de caſtris per plagas Tibiſcanas prolatis, mutatis, translatis commemorat. Intellexiſtine haec?* Intellexi. Latine ſunt ſcripta. Vult nempe hic auctor, vt plures habeamus, qui peraeque Hungarorum hiſtoriam fuſe deſcripſerint, quorum teſtimonio haec eadem probari poſſint. Quum igitur in aliis, qui rem compendio ſcripſerunt, tanta non leganus; illum, qui plus ſcripſit, illo iubente, reiicere debemus. Quae critica hoc docet? *In multis quidem*, vt olim in prolegomenis ſcripſeram, *vnicus hic teſtis eſt; id tamen aſſenſum noſtrum morari minime debet. Quod enim vnicus ſit; imputandum eſt paupertati noſtrae iacturaeque multorum codicum, quos Tartarica rabies hauſit.* Vt tamen aduerſarii votis aliquatenus re-

reſpondeam; audiat, quod Oſſoſtouitius et ex illo Coralouitius apud Bayerum in haec verba refert: *a) Poloucios Hungari, ab Hugro fluuio Pannoniam verſus tendentes, ad Tanaim fuderunt.* Audiat chronica Slauorum auctoris incerti, quae Lindebrotius in hunc modum edidit: *b) Rutia a Danis Oſtragard, id eſt, in oriente poſita, affluens omnibus bonis, vocatur. Dicitur etiam Chunigard, eo quod ſedes Hunnorum primo ibi fuit. Huius metropolis Chue*, ſeu Kiouia. Neſtor quoque ſcribit, *c) Vgros A. C. 898. per Kouienſem prouinciam profectos, aliquamdiu non longe ab vrbe Kouia ad Boryſthenem conſediſſe.* Haec *remote et quaſi in ſimilitudine* fortaſſis aduerſario ſatisfacient: qui tamen dubitat, an anonymus *ſub vllo Bela* vixerit. Hoc dubium in amico reſponſo iam ſuſtuliſſe videor. Nec anonymum ante hoc ſeculum ignotum fuiſſe, patet ex iis, quae Kerchelichius ex archidiacono de Guerche ſaepius adfert.

LIII. Ad contemtum anonymo noſtro conciliandum, quam male ſententiam eiusdem aduerſarius detorſerit, in examine p. 36. iam oſtendi. Hanc iniuriam maiore cumulat iniuria, dum illum *Marſiam* et *hebetem* appellat; *d)* mihi vero Soarium rurſus exprobrat: et perperam affingit *e)* vocis *anathema* deriuationem ab *átok* Hungarico. Qua quidem in re fidem eius lector aequus, ſi meum examen p. 39. legerit, palpare poterit. Alibi vero, p. 78. non *prudentiam* ſolum, ſed et con-

a) Coll. Petrop. T. X. p. 413. b) Ibid. p. 395. c) Coll. RR. T. I. p. 14. d) Hypercr. p. 107. e) Ibid. p. 108.

consilium, quod donum esse Spiritus S. non negabit, a me nominatum leget. Denique, num anonymus *ex meis responsis debeat fide omni exui*, quod ille nimis generose promittit, mox intelliget. Quia scripseram in examine p. 14. *solam vetustatem ad fidem faciendam non sufficere;* cauillatus, nihil esse, quod anonymo Belae notario fidem conciliet, praeter vetustatem, concludit: a) *Mendax igitur tua etiam sententia sit anonymus, oportet.* Cur vero nihil illi, praeter vetustatem, fidem conciliet, hanc rationem reddit: *Nullas tabulas Hungarorum e Scythia egressui et ingressui in Pannoniam coaeuas habuit; quippe quum litterae apud Hungaros ad tempora D. Stephani non viguerint:* Quid hinc sequitur? nimis multum, adeoque nihil. Sic enim nihil eorum sciremus, quae nostri maiores ante tempora S. Stephani gesserunt. Mendaces igitur erunt omnes, qui de rebus illis aliquid scripserint, quum earum nullas tabulas Hungarorum coaeuas habeant. Id solum de rebus illis scire possumus, quod in tabulis exterorum coaeuis breuiter et obiter consignatum legerimus. Cetera, quae patrii scriptores de vetustis illis temporibus referunt, mera mendacia sunt. En, quantam aduersarius stragem sua praecoce sententia historiis infert! Si vero posteriorum scriptorum historias, e traditionibus haustas, non esse mera mendacia dicat; iam anonymo, praeter vetustatem, etiam alia fidem conciliare debent. Vidimus, illum supra cum Reginone, qui sub exitum Hungarorum vi-

a) *Ibid. p.* 109.

vixit, consentire, nec vllum e posterioribus patriae historiae scriptoribus ita cum illo conciliari posse. Fit igitur credibile, quod ait, *ex annalibus chronicis* ea se habere. Quomodo vero haec chronica compilari potuerint, in prolegomenis ita coniectaui: *Certum est, a Geisa religionis causſa viros litteratos in Hungariam pellectos esse. Geisa rerum apud Hungaros potitus est A. C. 972. Recens igitur memoria rerum, ab Hungaris primis, qui has terras 80. circiter annis prius occupauerant, gestarum, haberi litterisque consignari per viros illos litteratos poterat. -- Constat ex aliarum regionum historiis, monachos res sui temporis diligenter connotasse; res etiam anterioris aetatis indagasse litterisque mandasse? num id solos Hungariae coenobitas neglexisse putabimus? - Vix est credibile, tot coenobiorum* (a S. Stephano subinde conditorum) *incolas posteritatis adeo parum curiosos fuisse, vt ad exemplum eorum monasteriorum, e quibus hae coloniae ductae sunt, chronica non tantum ordinis, sed etiam neophytae gentis, cuius beneficio viuebant, non consignauerint. Et vero huiusmodi chronica Hungaros etiam Turotzium habuisse, colligitur ex decreto Sigismundi.* -- Veterioribus certe chronicis anonymum, quam Turotzium vsum fuisse, multa docent. Num, vt de chronologia nihil iam dicamus, inter alia, nec Turotzius, nec vllus alius, *Abae* regis aliud nomen memoriae prodidit, quem ante nostrum anonymum in lucem productum ignorauimus *Samuelem* quoque dictum fuisse; nec numum Hungaricum, nomine *Samuhelis* regis insignitum, ad vllum regem nostrum referre certo po-

potuimus. Et hunc auctorem, cui tantum debemus, e manibus noſtris ad mandatum aduerſarii dimittemus? - Iamne mea ſententia *mendax anonymus?*

LIV. Alia regula vult aduerſarius anonymo fidem omnem adimere, quam ex Praianis verbis ita ſtatuit: *Standum eſt auctoritate ſcriptoris domeſtici, quum ea narrat, quae alii quoque domeſtici ſcriptores referunt, et vetuſtis ac aetati Hungarorum aut coaeuis, aut ſupparibus ſcriptoribus contraria non adferunt, et cetcroquin cum antiquis annalibus conciliari poſſunt.* Hanc regulam eſſe veriſſimam contendit ex contraria hac regula: *a*) *Non eſt ſtandum auctoritate ſcriptoris domeſtici, quum ea narrat, quae alii &c.* Quum poſterior haec regula ſit aperte falſa; priorem eſſe veram contendit. Totum hoc admitti poteſt, adhibita tamen illa Peripateticorum, eidem exoſorum, diſtinctione: *Etiam.* C. *Tantum* N. Seu concedo, *ſtandum eſſe* (tunc etiam) *auctoritate ſcriptoris domeſtici, quum ea narrat, quae alii.* Sed nego, *ſtandum eſſe* (tunc tantum) *auctoritate ſcriptoris domeſtici, quum ea narrat, quae alii.* Adeoque hoc argumentum aduerſarii rurſus nimis multum adeoque nihil probat. Hinc enim ſequeretur, numquam illum vni diſcipulo ſuo credere debere, quum id narraret, quod alii diſcipuli non narrarent. Credit quidem Petro, quando Paullus idem affirmat; ſi tamen hic idem non affirmet; an propterea Petro ſoli numquam credet? Vbi ſunt hic illi laquei, de quibus ita loqui-

a). *Ibid. p.* 110.

quitur: *Ex his laqueis quum te expedire non poſſes; more vetularum ad ſcomata abiuiſti?* Nonne hunc dumtaxat ſenſum regulae huius etiam prius oppugnaui? *Numquam ille cenſuit*, ita de Cl. Praio ſcribebam exam. p. 87. *TVNC DVMTAXAT ſtandum eſſe*, cet. Sicut igitur nunc, ita tunc ex laqueis his, peſſime ſtructis, me iam expediui. De ſcomatis deinde queritur; ſed enim argumenta pro ſcomatis, vt alias, accipere videtur. Hoc ita ſe habere, lectores facile videbunt. Queritur etiam, ſe ſugillari, *quod ſuae regulae Prait verba de numero ducum praeiecerit.* Non ſugillatur, quod praeiecerit; ſed, quod *peſſime detorſerit.* Indignatur poſtea, a) quod has ego voces, ad explicandam eius regulam, addiderim: *Tunc dumtaxat.* Haec verba pro verbis illius venditata non eſſe, typus ipſe diſtinctus oſtendit: et alioquin, quum aliquot ante lineis regulam eius retuli; haec verba non addidi. Fingit igitur a me factum, quod factum non eſt, vt ceu primus *humanitatis* profeſſor ita calumniari poſſit: *Palpaſne iam hic calidiſſimum tuum mendacium? vbi fides? non te pudet, tam aperte adſuere verba, quae totum ſenſum mutant?* Conſentio. Vocetur hoc calidiſſimum mendacium, ſi verba haec ita ſenſum illius mutant, vti meum haec illius mutant: b) *Quum prius* anathema *ab* átok *Hungarice deriuaſſes.* Nec enim illic ego vocis *anathema* deriuationem, ſed ſignificationem Hungaricam expreſſi. An, quum dico: *mendax* Hungarice ſignificat *hazug*; vocem *men-*

a) *Ibid. p.* 111. b) *Ibid. p.* 108.

dax ab *hazug* deriuo? Iam vero quis ſenſus illius regulae fuerit; patet ex iis, quae his verbis aduerſarius ipſe ſubiungit in ſitu Morau p. 145. *Fèrt anonymus ea, quae alii domeſtici, rebus etiam ita ferentibus, non commemorarunt; exteri vero prorſus ignorarunt.* Innuit igitur, non eſſe ſtandum illius auctoritate propterea, quod ea narret, quae alii non narrant. Quis igitur non videt, illi regulae hunc ſenſum ſubeſſe: TVNC DVMTAXAT *ſtandum eſſe*, cet. Secus enim illa regula non poſſet anonymus oppugnari, quod ea referat, *quae alii domeſtici non commemorarunt.* Vbi iam hic *calidiſſimum illud mendacium? vbi fides* ſubleſta?

LV. Hanç calumniam repetit et ſubleſtam mihi fidem rurſus obiicit, quod haec eius verba non retulerim: *Et vetuſtis ac aetati Hungarorum aut coaetuis aut ſupparibus ſcriptoribus contraria non adferunt, et ceteroquin cum antiquorum annalibus conciliari poſſunt.* Atqui haec omnia, ne littera quidem omiſſa, cum eiusdem regula, fideliter exam. p. 87. retuli. Teſtes lectorum oculos appello. Quod ſubinde non retulerim; cauſſa fuit, quod nulla neceſſitas eadem repetendi fuerit, vt facile quiuis obſeruare poterit. Effugia haec ſunt, quibus argumentorum meorum vim eludere vult. Idcirco rurſus conuiciis, armis in argumentorum inopia ſibi iam vſitatis, ad obmotas difficultates ita reſpondet: a) *Addis, quod vis: demis, quod vis: quid igitur mirum; ſi arguteris, vt vis? Quam acri dolore ardebunt illi omnes tui alumni, quibus vl-*

a) *Ibid. p.* 111.

vltra vicenos annos hiſtoriam Hungariae praelegiſti; quam nunc, inſpectis veris fontibus, clariſſime inſtituebantur, illam vnam fuiſſe arcanam criticam tuam, vt tua addas, ſim demas ſcriptoribus verba. Merito dolebunt, ſibi pro Iunone nubem obtruſam. Illi vero ſolidiori fundamento nituntur, quam vt hoc verborum ſtrepitu moueantur ac circumagantur. Norunt illi, quod in praefatione hiſtoriae ducum legerunt, vera ſcribentibus non opus eſſe *conuiciis, certiſſimis paupertatis indiciis, ad quae tum ſolum recurritur; quum mala cauſſa ſolidioribus fulcris deſtituitur. Cum alias praecuſtae ſudes ab ingenua hominum ſocietate, tum a rep. litteraria, lege miſarum, proſcribi debent; vbi haſtam clypeumque pugnantibus non odium, ſed veritatis ſtudium offerre; victoriae guſtum comitas Chriſtiana coercere debet.* Norunt haec, et ex me ſaepius audiuerunt, vas vacuum magis ſonare. Quamprimum igitur tantum verborum contumelioſorum ſtrepitum exceperint; ſuſpectam aduerſarii cauſſam habebunt, et animum ad argumenta diſcutienda diligentius applicabunt. Vbi vero nihil, poſt magnum incendium, praeter fauillas et cineres dolioſos, inuenerint; nouis ignibus in tantum obtrectatorem exardeſcent.

LVI. Subinde diſſimulat aduerſarius, quaſi non intellexiſſet argumenta mea, quibus illum Praianis verbis abuſum fuiſſe docui. *His ego*, ſcribit, *a) nihil addidi, nihil demſi.* Nec ego quicquam horum obieci, ſed, quod aduerſarius verba Prae-

a) *Ibid. p.* 112.

iana *peſſime detorſerit*; quaſi ſtandum non eſſet auctoritate ſcriptoris domeſtici, quum ea narrat, quae non referunt alii ſcriptores domeſtici. Quod perinde eſt, ac ſi diceretur: numquam vni, quicquam referenti, credendum eſt; niſi plures idem referant. Calumniatur poſtea, me nunc turpiter a regula Praiana reſilire, quum in exam. p. 96. ſcribam: *Numquam omnem ego Praii ſententiam adoptaui.* Atqui huius rei teſtem ipſum aduerſarium habeo, qui plura refert in ſitu Morau. p. 144. quam ego retulerim et adoptarim. Quaerit deinde: *Cur itaque ad totam illam Praii orationem nos prius remiſiſti?* Numquam *ad totam* remiſi. *Cur*, vrget, *nunc ſaltem non indicas, quid adoptes?* Ter iam indicaui (*Hiſt. duc. p.* 35. 74. *Exam. p.* 85.) Nondumne ſatis? *Cur te pudor*, ita rurſus calumniatur, *a prodenda illa regula conceptis tuis verbis retrahit?* Naeniae! Nec pudor, nec labor me retraxit, quominus iam ter illam conceptis verbis prodiderim. Tam miris ille modis et artibus a cognoſcenda veritate lectores auertere conatur; ſed catis et cautis non imponet. Quia vero particularem litem Cl. Praii cum Timone non adoptaueram; idcirco, quae de numero ducum ille huic regulae praeiecit, omiſi. Poſtquam autem hypotheſim ad theſim ille reuocauit, ac ex particulari caſu generalem et vniuerſalem regulam efformauit; hanc adoptaui. *Grande peccatum*, ſubiicit, *a) peccaſti contra logicam.* An etiam contra rhetoricam? Amicae ſibi ſunt haec ſcien-

a) Ibid. p. 113.

ſcientiae; nec alterutra peccatum indulget, quod altera prohibet. Sed rurſus ad conticia recurritur, in quibus nihil vel ex logica, vel ex rhetorica depromtum inuenitur. Quis tamen interea non ſuſpiciat ingenium aduerſarii, qui, poſtquam regula, tam acriter defenſa, ſe penitus inuolutum, vt euoluere ſe porro non poſſet, vidit; affirmat, ſe non alio fine regulam illam adduxiſſe, *quam vt aduerſarium ſuis armis peteret.* Atqui non eodem modo fuit aduerſarius illis armis vſus; non igitur ille *ſuis armis* fuit petitus. *Intellextin' hoc iam?* Clariſſime. Sed, quum negat ſua corollaria *ſua eſſe*, quis riſum teneat? *ſunt*, inquit, *eius regulae, quam vniuerſalem effinxiſti.* Cur ergo huic etiam *particularis caſus* fuit praemiſſus? *Illam igitur, quum impugnas, te impugnas.* Itane? Docetne mea regula, non eſſe credendum vni, quum plures idem non dicunt? Cetera hinc fluunt.

LVII. Etſi regulam hanc numquam arctauerim, dilatauerim, diſtinxerim; vt tamen id aduerſarius oſtenderet; regulam ſuam, iam alias a me caſtigatam, rurſus exhibet, *a*) triumphumque ſibi poſt hominum memoriam glorioſiſſimum adornaturus, hos apparatus praemittit: *b*) *Itaque ex adiectis tuis verbis verum eſt, ſcriptoris domeſtici auctoritatem valere in ſilentio exterorum; ſi contraria veteribus non narret.* Verum. *Quomodo poteſt*, pergit, *contraria veteribus narrare, quando veteres ſilent?* Nullo modo. *An, ſi aliquid vides; non vides, rem aliquam ſilere et illi contrarium nar-*

a) *Ibid. p.* 114. b) *Ibid. p.* 115.

nare, prorſus pugnantia eſſe? Video quidem, ſi rem aliquam idem *ſilere contrariumque narrare* dicantur, id prorſus pugnare. Sed, ſi ſint alii, qui ſileant, alii, qui contrarium narrent, id inter ſe pugnare non video. Fieri namque poteſt, vt domeſtici ceteri, quod vnus refert, ſileant, exteri contrarium narrent, vt nemo non videt. Eſtne hic *gladius hebes?* Sed, inquit, *inferius paullo plane ipſum confeis.* Videamus, an gladii vibrandi tam imperitus ſim. *Olgi*, ſcribit, *expeditiones, in Graecos ſuſceptas, a Graecis non ſilentio praeteruitti, ſed contrario prorſus modo referri narras.* Ita. *In regula autem generali requiris ſilentium exterorum.* Non requiro; ſed permitto. Quis non videt, quantum iſta differant? Exemplo rem illuſtremus. Scribit anonymus, *Abam* regem aliter *Samuelem* fuiſſe vocatum. Id fide dignum eſſe cenſeo, licet alii de hoc ſileant. Non tamen hoc ſilentium ita requiro, vt id fide dignum eſſe non cenſerem; licet idem alii quoque referrent. In idem recidit, quod aduerſarius ita ſubiungit: *Hic in Graecis, reſpectu Ruſſorum exteris, iam non ſilentium, ſed contrariam relationem deſiderat.* Quamquam hic Graeci, reſpectu Ruſſorum, non poſſint dici penitus exteri, quum bellum illud tam a Ruſſis, quam a Graecis geſtum fuerit et commune ſcriptoribus vtriusque gentis euaſerit. Ex his iam apparet, perperam aduerſarium ita colligere: *Tua itaque regula requirit ſilentium et requirit non ſilentium.* Perperam his mihi verbis illudere: *Iſte rurſum eſt tuus gladius. Nonne vides, quam hebes ſit?* Video perperam obtruſum ac in officina ſycophantarum effabricatum.

LVIII. Ex eadem officina prodiuit calumnia, qua dicor, a) *impudenter lectoribus imponere; quum dico Olegi expeditiones a Graecis silentio non praetermitti; sed contrario modo narrari. Quomodo*, quaerit, *contrario modo narrantur, quae ne narrantur quidem?* Difficultatibus, a me propositis, eo tandem adactus est aduersarius, vt ea hic retractet, quae his verbis in situ Morau. p. 149. contenderat: *Adde, quod expeditionem Russorum naualem, in Graecos susceptam, de qua Nestor, non solum vnanimi consensu annales Russici celebrant; sed Graeci quoque, in quos susceptа est, innuunt, vt non diffitetur Cl. Katona, licet in anno expeditionis et in numero nauium minime conueniant. Quo loco rursum stabilitur auctoritas Nestoris, ea de Graecis referentis, quae Graeci ipsi, posthabito gentis suae opprobrio, victi veritate, memoriae posterorum prodidere.* Nunc tamen ille, siue memoriae lapsu, siue calumniandi pruritu, siue difficultatibus pressus, negat, quod antea verbis adeo claris affirmauit. Et velut ignarus, *vbi quiue Graecorum veterum scriptorum de Olegi expeditionibus* scripserint; vrget, *cur locum non exciteu*, quem et ego iam excitaueram, et ille prius inspexerat. *Nam*, subiicit, *duplex illa Russorum expeditio, quam p. 97. describis, te ipso teste, non potuit ab Olego suscipi; nec in tempora Olegi tutoris incidit.* Ita certe. Sed hoc ipsum Nestoris auctoritatem conficit, qui veterioribus Graecis scriptoribus contraria scribit. *Contraria*, pergit, *non sunt, quae*

a) *Ibid. p.* 116.

ab diuersis ducibus et diuersis temporibus gesta narrantur. Ita quidem, si diuersae res a diuersis ducibus et diuersis temporibus gestae vere narrentur. At si res eadem a diuersis ducibus et diuersis temporibus gesta male narretur, vt hic fit, contraria sunt: scriptoris vel ignorantiam, vel fidem malam arguunt. *Itaque*, concludit, *Olegi expeditiones in Graecos adeo a Graecis scriptoribus contrario modo non referuntur, vt ne mentio illarum vlla apud Graecos occurrat.* Si haec lector aequus tum illis aduersarii verbis, quae paullo prius excitaui, contenderit; risum vix iterum tenebit. Si vero glorioſe triumphantem illum, qui meis armis victus, quod antea conceſſit, modo negat, audiuerit, ab effuſo cachinno temperare ſibi vix poterit. *Io triumphe!* Ita ſibi tubam inflat. *Dum genus hominum ſtabit: ſi omnia ruſtica ſcomata in auxilium aduocaueris; nunquam oſtendes, Olegi expeditiones contrario modo a Graecis ſcriptoribus referri.* Scomata non ſunt arma mea, ſine quibus iam oſtendi (*Hiſt. duc. p.* 78. *Exam. p.* 98.) Ruſſorum in Graecos expeditiones non Ruſſis, vt Neſtor narrat, ſed Graecis glorioſas fuiſſe; nec iis temporibus, quibus Olegus rem Ruſſicam procurabat, congruere; Neſtorem igitur non tantum in narratione contraria ſucceſſus, ſed etiam in conſignatione temporis errare. *In hiſtoria ducum*, inquit, a) *tibi Graeci tacent.* Itane vero? tacent illi, de quibus p. 75. ita ſcripſi: *Ego vero, rem diligentius ſcrutatus, narrationem Neſtoris cum Grae-*

a) *Ibid. p.* 117.

Graecis ſcriptoribus reperio non conſentire? Tacent omnino de Neſtoris commentis, quae huic expeditioni Ruſſorum affuit; ſed de hac expeditione non tacent, quam contrario modo referunt, vt in examine ſcripſeram, ac aduerſarius quoque loco ſupra producto faſſus fuerat. An igitur *nisi me gladio confeci?* Quis non illum potius ſuo ſe gladio confeciſſe dicat, qui quod tam clare prius aſſeruit, tam aperte nunc negat? Et tamen iſte rurſum ita ſibi triumphum occinit: *Io triumphe! Erit hoc mihi ad poſteros glorioſum, te, tot annorum in vniuerſitate profeſſorem, tot temporum ſcriptorem, tam arrogantem meae perſonae contemtorem, tuo tibi gladio ictus immedicabiles inflixiſſe. Io triumphe!* Iam tuba haec glorioſa tertium inſonat. Quis vmquam poeta thraſonem glorioſius triumphantem exhibuit? Sed tamen, poſt tot triumphos, quaſi poenitudine facti vel faſtus non nihil tactus, de Neſtore iam moderatius ſentit; nec illum *ab omni prorſus errore eximium* eſſe pronunciat.

LIX. Ille quidem nunc primo Neſtorem ab erroribus eximium non fuiſſe fatetur; ego vero dudum aberrationes anonymi palam agnoui, quin illum propterea penitus reiiciendum exiſtimauerim. Id tamen ille vult, dum contendit, *a) nullos fontes anonymo fuiſſe.* Potui quidem ego, quum id ille negaſſet, interrogare: *An ſcribenti adfuerit?* non item ille mihi, quum idem affirmaſſem, eamdem quaeſtionem ponere potuit. Nam ille cauſſam

a) Ibid. p. 118.

catillatur. Qui tamen error cauſſam aduerſarii maioribus difficultatibus inuoluit, vt patet. *a*) Cauillabatur ille prius, *vltra vicenos annos hiſtoriam Hungariae me praelegiſſe.* Hoc ſtudium fuit inductum ſub exitum anni 1777. Deſiit mecum in vniuerſitate ſub exitum anni 1784. Quo iam animo ferret aduerſarius; ſi, quod ex ſeptenis vicenos annos et *vltra* fecerit, illi ſic inſultarem: *Magiſterne te tam male inſtituit in arithmetica; an tu tam male didiciſti?* Neutrum ego dicerem; ſed oſcitantiae potius errorem hunc adſcriberem. *Lodomeriam*, vt obiicit, *ciuitatem fuiſſe*, non negaui, dum *non vnius ciuitatis, ſed adſitae ſimul regionis* limitibus contineri ditionem ducis Lodomerienſis ſcripſi. Cur igitur *huius pudendae proteruiae* reum me facit primus hic *humanitatis* profeſſor? Quod obiter, *vrbem Romam exhauſtam et ad vnum Capitolium redactam fuiſſe*, dixerim; criticam meam accuſat: quaſi vero, quod clarum erat, *argumentis euinci* debuiſſet. Leuia haec eſſe, quum alia non adſint, nemo non videt. Nec minus illud leue, quod de camelis obiicit; *b*) quaſi hi *naſcerentur, vbicumque expreſſis verbis non negat eos naſci Plinius.* Cui hoc vel in mentem venire potuit? Quis vero non ſuſpiciat ingenium aduerſarii, iocumque hunc ſubtiliſſimum: *c*) *Palato tuo tamen cucurbitae hae arridebunt; an propter affinitatem quandam? ſed deſinamus iocari.* Non eſt iocus, eſſe malignum. Sed iam in fine non ioco dicor, *ad vnguem Hecubam expreſſiſſe.* Si mea bene-

ne-

a) *Ibid. p.* 125. *b*) *Ibid. p.* 126. *c*) *Ib. p.* 127.

neuolus lector et illius dicta legerit, facile definiet, vtri melius appellatio *Hecubae* conueniat. An, inquam, Hecubam non exprimat, qui toties figmentum ſuum deriuatae vocis *anathema* ab ἀτολ recoquit; qui toties illud in cerebro ſuo natum commentum repetit: *a) Hungari cum Arpade - ad Arpadem - fugerunt, et ibi ſtabula equis defeſſis aedificarunt?* An, quod ille de *cucurbita*, non potiore iure de *ſtabulis*, quae toties reuiſit, illi poſſet regeri? An bene hic oppoſitionem fingat: Hungarorum vna pars *per Moldauiam et Valachiam cum clade in Pannoniam deſcendit*: et Hungarorum altera pars *per Lodomeriam, Munkatsinum, per continuas victorias in Pannoniam intrauit?* An qui ſic anonymum expoſuit: *Quod, vt in hoſtico, hic non ſatis hae copiae ſalutis ſecurae eſſe viderentur; paullo poſt circumdedit eas muris arcis Vngenſis*, id *prae metu* factum eſſe non innuat? An igitur illud *prae metu* figmentum meum fuerit? an propterea humaniſſimam hanc eius cenſuram commeritus fuerim: *b) Potuiſtine ita cerebrum tuum verberare?* An, licet vocabulum *omnes* vel *praecipui* nec apud aduerſarium, nec apud anonymum reperiatur; ſenſus tamen, qui his vocibus reſpondeat, reperiatur? An anonymi ſenſum expreſſerit, qui ludicre quaeſiuerit, quomodo hominum numerum prope innumerum moenibus arcis Vngenſis concluſerit? An in ſeptem caſtris Turotzii principium criticum anonymi protegendi fundauerim? An ex legibus humanitatis *imperiti ingenii effugia et mendacia*

a) Ibid. p. 128. b) Ibid. p. 129.

cia mihi rursus obiiciantur? An Cumani, Ruthenique nusquam locum habere potuerint; si *Munkatsini et Vnguarini non manserunt*? Haec nulla refutatione, sed tantum lectione meorum et illius dictorum indigent.

LXI. *De fontibus anonymi*, quos iterum requirit aduersarius, *a*) saepe iam responsa dedimus. Si fontes, quos ille pro Nestore per *potuerunt* assignauit, cum iis, quos pro hoc anonymo nos assignauimus, contendantur; potiores isti fideque digniores illis, cuiuis videbuntur. De voce *tornamentum* idem, quod de *marca*, respondemus, anonymum illam ad aeui sui morem vsurpasse. De vetularum armis, non a me, sed ab aduersario saepius adhibitis, ac eius argumentis nec dissimulatis, nec *turpissima fide corruptis*, aequi lectores iudicium ferent. Quia vero me rursum *extra rhombum* agere more suo calumniatur; *b*) qua veritate hoc nitatur, videamus. Status quaestionis erat, *an anonymus ipse semet et fide, et omni in historiis auctoritate exuat*, vt aduersarius in situ Morauiae p. 127. his verbis innuit. *Solam eius narrationem cum coaeuis monumentis et secum ipsa contendam, vt hac inexpugnabili pugna expugnatus a se ipso anonymus ipse semet et fide, et omni in historiis auctoritate exuat.* Vt hoc euincat; primum illi vitio dat, quod *narret, Attilam, fugatis Romanis, Pannonias occupasse; regiam suam sedem Budae fixisse; vrbem hanc eapropter fortissimis muris circumdedisse.* Quum igitur de Pannonia,

a) *Ibid. p.* 130. *b*) *Ibid. p.* 131.

nia, de hac Attilae regia breuiter egi; num *extra rhombum* egi? Sed enim eius argumenta *subleſto ſilentio tranſiui.* Non ſubleſto, ſed deſtinato conſilio tranſiui, ne ſine neceſſitate longius euagari cogerer; quum, etiamſi de his anonymus male ſcripſiſſet; non ſequeretur, quod in quaeſtione fuit, anonymum *omni ſe fide exuiſſe.* Haec enim argumenta, quibus aduerſarius id euincere voluit, exam. p. 81. ita concluſi: *Etiamſi tandem euiciſſes, illum de fugatis ex Pannonia Romanis Attilaeque regia Budae conſtituta male ſcripſiſſe; rectene ſequeretur, illum ſemet et fide, et omni in hiſtoriis auctoritate exuiſſe? Omneſne, qui prorſus eadem cum anonymo tradunt, omnem ſibi fidem et in hiſtoriis auctoritatem adimunt? Omneſne, licet eos ſemel erraſſe doceres, ſemper errare, recte dicere poſſes?* Haec erant mea, non *extra rhombum*, vt apparet, dicta. Quid ille? *ſcripſine*, quaerit, *ego iſtud hoc loco? Anonymum hac de cauſſa reieci?* Vtrumque, qui caecus non eſt, apud eum inueniet. Ad probandam certe hanc propoſitionem ſuam: *Anonymus ipſe ſemet et fide, et omni in hiſtoriis auctoritate exuit*, hanc de Pannoniis et Attilae regia diſſertationem adornauit. Haec quum ita ſe habeant; quis iam non miretur vel indignetur, hunc primum *humanitatis* profeſſorem in me ſine cauſſa his tam contumelioſis verbis detonare: *Per ego te omnia quaeſo oroque, anice Katona, ne pergas tam impudenter et praefracte mentiri in omni folio. Aetas tibi fere acta eſt. Tu quaſi nihil vnquam de decori, de diſputandi et refutandi ratione audiſſes, dicta mea vni loco demis, alteri addis, miſces,*

misces, quadras, rotundas. An hoc tot annorum curriculo, bone professor, didicisti? Crede, modo hoc tuo scribendi ignotos fortasse falles; at notis eris derisui. Vnde tanta conuicia sum commeritus? Iudicent aequi lectores, an eius dicta suo loco non retulerim. Sed simul iudicent, an iste *decori, disputandi refutandique rationem* obseruauerit.

LXII. Vt aduersarius omnem anonymo fidem adimat; illum cum Porphyrogenito contendit, ac in situ Morauiae p. 138 primum illi hoc obiicit: *Anonymus Arpadem, filium Ami; Constantinus filium Salmutzis facit.* Ad hoc ego, miratus argumenti leuitatem, exam. p. 82. subieci: *Digna haec est difficultas, ob quam anonymus omni fide destituatur;* tum argumentum hoc refutaui. Hoc aduersarius aegerrime tulit, ac anonymum se fide propter hanc constructionem non exuisse, contendit. *a*) Non igitur hoc commemorandum inter cetera fuit, quibus anonymo fidem tollere voluit. Ex his alterum istud erat: *Anonymus in serie ducum primum Vgegum; Constantinus Lebediam ponit.* Ego, recitatis anonymi verbis, quibus seriem ducum texit, quaerebam: *Vbi hic Vgegus ponitur?* Quid ille? Mihi primum aucupium verborum, quasi hic non de re, sed de verbis ageretur, exprobrat. Tum errorem suum, modo prorsus inexspectato, palliat. *Vgegum ego dixi ducem*, inquit, *b*) *sicut filios regum in Vngaria nominare moris fuit duces.* Atqui quaerebatur, non, quem ipse, sed quem *anonymus in serie ducum primum*

a) *Ibid. p.* 132. *b*) *Ibid. p.* 133.

mum posuerit. Et tamen, postquam apud anonymum, quum *de serie ducum* non agebat, Vgegum reperisset, quasi hoc ignorassem, mihi suum errorem affricat. Nec per illum licuit mihi Magogum, *de cuius genere*, secundum anonymum, Vgek fuit, huius Vgeki *progenitorem* vocare; nam inquit, *a*) *progenitor Latina callentibus annum notat.* Non est hoc verborum aucupium, quod mihi toties exprobrat? Idem *Oscam* mihi linguam idemtidem obiicit. Qui sanius de mea quantulacumque latinitate iudicium ferunt, operam mihi suam obtulerunt, ad longum barbararum vocum catalogum ex opere cultissimi huius Latini texendum, quibus etiam obsoletae voces *antidhac*, *ingentior &c.* in quibus ille peculiarem elegantiam collocat, addi poterunt. *Qui Latine*, subiicit, *mediocriter intelligit: si tamen cum hac notitia legat iuramentum Hungarorum, quo sese Almo subiecerunt; clare cognoscet, Hungaros Almo iura maiestatica detulisse.* Licet Latine *mediocriter* intelligere mihi videar; non tamen intelligo, quomodo cum iuribus maiestaticis conciliari possit hoc iuramentum: *Vt isti, principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi dominum elegerant, quod ipsi et filii eorum numquam a consilio ducis et honore regni omnino priuarentur.* Quare haec oppositio frustra iactatur: *b*) *Hungari ante Árpadem habuerunt principem, iuribus maiestaticis praeditum; et Hungari non habuerunt principem, iuribus maiestaticis praeditum ante Árpadem.* Nec ista sibi oppo-

G nun-

a) *Ibid.* p. 134. *b*) *Ibid.* p. 135.

huntur: *Hungari libera voluntate elegerunt ſibi principem*, iuribus maieſtaticis non praeditum; *et Hungari, a Chazarorum chagano adacti, acceperunt principem*, iuribus maieſtaticis praeditum. Cetera hinc fluunt, quae iam alias tam in hiſt. duc. p. 38. 39. 130. quam in exam. p. 83. diſſoluta ſunt. Ex his et illud falſum eſſe cognoſcetur: *a*) *Arpadus, antequam Vngari Vnguarimum vidiſſent, ſuprema principis poteſtate fuit exornatus.* Illud autem vere dici poteſt: *Almo, electo duci, iurarunt Hungari obedientiam; ſuperiorem itaque ſuum*, non tamen maieſtaticis iuribus praeditum, *in eo venerabantur.* Nec enim omnis ſuperior, cui iuratur obedientia, ſemper maieſtaticis iuribus praeditus eſt. Hoc iterum ſenſu diſſoluitur apparens haec oppoſitio: *b*) *Fuit itaque Arpadus primus Hungarorum princeps, et non fuit primus.*

LXIII. Poſtquam nullum aduerſarius ſolidum argumentum adferre potuit; *ſtabulis* iterum in inſula Tſepel viſitatis, oppoſitiones nouas commiſcitur, quaſi prius Arpadus princeps ſummus fuiſſet creatus, quam Vnguarini mancam poteſtatem accepiſſet. Alium rerum ordinem lectores in hiſtoria ducum p. 126. ſeqq. inuenient; vbi ſimul vmbras de Salmutze diſſipatas legent. Vltimum a conuiciis argumentum, hoc etiam loco, more iam vſitato, ducitur. Exam. p. 85. dixeram ego, *ſub eiusdem iurisiurandi formula poſſe et maiorem, et minorem poteſtatem concedi.* Quis enim dicat, omnes reges eamdem in omni regno poteſta-

a) *Ibid. p.* 136. *b*) *Ibid. p.* 137.

ſtatem habere; licet obedientiam illis in omni regno ſubditi iurent? Ille tamen cum admiratione quaerit: *a) Itane vero? et quidem etiamſi nulla praeciſione mentali vtitur iurans? Vel iam hac primos Vngaros vſos fuiſſe, ex hiſtoriis eruiſti?* Quid hoc ad rem? Cur praeciſio mentalis iſtic memoratur; niſi calumniandi gratia? Facitne haec ad eam quaeſtionem definiendam: an ſub eiusdem iurisiurandi formula poſſit et maior, et minor poteſtas concedi? Quis hic calumniandi pruritus? Hic idem facit, vt anathematis obliuiſci nondum poſſit, quod *ab ἀτοκ Vngarico deriuari* rurſum comminiſcitur, ac ita demum primus iſte *humanitatis* profeſſor conuiciatur: *Iam video, nihil eſſe, quod cerebro tuo non conficias; ſed ratio tibi exareſcit vbique.* Subleſtam fidem, ſine cauſſa per ſummam calumniam mihi ſaepius obiectam, ſemper adhuc dilui. Tot calumniis aduerſarius nondum fatigatus, eamdem mihi rurſus obiicit. Refert anonymus Cap. X. *duces Ruthenorum, ſcilicet de Kyeu et Sudal, vt ne de ſedibus ſuis expellerentur, filios ſuos in obſides dediſſe Almo duci.* Difficultatem aduerſarius mouit de ſolo duce Susdaliae, de quo hoc reſponſum exam. p. 103. dedi: *Si iam tunc, quum Hungari Susdaliam praetergreſſi ſunt, obſides ea de cauſſa dedit*, ne de ſedibus ſuis expelleretur; *totum dilemma tuum - corruit.* Cur hic *ſubleſtae fidei* poſtulor? Miretur aequus lector. *Nam*, inquit, *b) primo anonymus non habet*: expelleretur; *ſed*: expellerentur. Quum anonymi ſententiam retuli;

a) Ibid. p. 138. b) Ibid. p. 139.

non aliter et ego ſcripſi. Sed quum de ſolo duce Susdalienſi quaeſtio fuit, qui potui ſcribere, *ne de ſedibus ſuis expellerentur?* Hic aequitas lectoris ſententiam ferat, an propterea tam enorme *ſubleſtae fidei* ſcelus appingi mihi potuerit. *Secundo*, pergit, *verba mea*: quandoquidem Hungari pacifice propter Susdaliam tranſiuerunt, *ſubleſte ſupprimis. Hoc quidem ex norma criticae tuae; ſed non ex decori et veri ſtudio.* Quid hic contra decori verique ſtudium peccatum eſt? An omnis omnia ſemper alterius verba referre debet? An non ea dumtaxat referri ſolent, ex quibus argumenta depromi debent? Quod autem argumentum omiſſa verba ſubminiſtrare poſſunt? Nonne tam per Lodomeriam, quam per Haliciam *Hungari pacifice tranſiuerunt*, et tamen obſides a ducibus acceperunt? Cur igitur peraeque dux Susdaliae, *ne ſedibus ſuis expelleretur*, ad redimendum bellum obſides Almo iam tunc, quum *Hungari pacifice propter Susdaliam tranſiuerunt*, dare non potuit? An igitur *ſubleſta fide* verba haec ſuppreſſi, quae nihil ad rem faciebant? Quam paruo huic homini *ſubleſta fides* venit!

LXIV. Ad ea, quae ſequuntur, iam reſponſum eſt, anonymum ordinem rerum, ab Hungaris geſtarum, non ſemper obſeruaſſe, quod exemplo, mox ſubiecto, docetur. Ad quod nihil aduerſarius, praeter ſcomata, de quibus immerito me rurſum accuſat mihique ſuum vitium affricat, reponit. *Tuum*, inquit, *a) reſponſum, etiamſi no-*

a) Ibid. p. 140.

nouis et non iam decies repetitis ſcomatibus illud exornaſſes; fuiſſet tuum, i. e. ſine criſi, ſine ſale, ſine iudicio, et ex fraudibus conſutum. Pulchra refutatio! digna primo *humanitatis* profeſſore! Deinde me docendi cauſſa, quem *nimio plus peregrinum et hoſpitem in hiſtoria Ruſſiae videt*, ex hiſtoria Ruſſorum huc aliqua transfert. A nemine quidem me pudet diſcere. Ceterum ſuperuacanea mihi videtur haec opera: qui, priusquam hiſtoriam ſcribere coepiſſem; quicquid ad illuſtrandas Hungarorum res in pluribus collectionis Petropolitanae tomis de rebus Ruſſiae continebatur, diligenter excerpſi. Narratur ab aduerſario Kiouienſium infelix expeditio, *a*) *cum* 200. *Nauibus* ſuſcepta Conſtantinopolim, vt deinde dicitur; *b*) licet id in narratione reticeatur. Iuſtum igitur dubium mihi ſuboritur, an exacte haec Ruſſorum hiſtoria referatur. Hoc mihi dubium nemo vitio dabit; ſi meminerit, qua fide mea quoque dicta ſaepe relata ſint. Auget ſuſpicionem, quod aduerſarius ante ſcripſerit in ſitu Morau. p. 150. *numerum nauium alium apud Graecos, alium apud Neſtorem expreſſum eſſe.* Hic contra hunc in modum ſcribat: *Ex his colliges primo, naualem expeditionem, cum* 200. *nauibus, in qua tu Neſtorem Graecis aduerſari, non lecto Neſtore, dixiſti, contineri in annalibus Ruſſicis.* Atqui, qui Neſtorem legit, idem dixit. *Cecinisti*, ſubiicit, *c*) *triumphum ante victoriam; quia ex ignorantia hiſtoriae Ruſſicae confudiſti expeditionem naualem Oskoldi*,

a) *Ibid. p.* 141. *b*) *Ibid. p.* 142. *c*) *Ibid. p.* 143.

ante Olegi tempora ſuſceptam, cum expeditione ea, quam Neſtor Olego tribuit. An et quomodo conſuderim, videamus. Neſtor Olego tribuit expeditionem Ruſſis glorioſam ac ingentem victoriam. Graeci meminerunt geminae Ruſſorum expeditionis, quarum vtraque Ruſſis ignominioſa, cum ingenti clade coniuncta fuit. Quum igitur ego Neſtorem Graecis contraria ſcribere dixi; quomodo poteram Oskaldi naualem expeditionem intelligere, quae quod infelix fuerit, Graecis contraria dici non potuit? Quicquid igitur aduerſarius de Rurico, Ruſſiae monarcha, diſſerit; id totum mihi merito ſuſpectum videri debet. Nec ille mihi neceſſitatem hanc imponere poteſt, *a) vt oſtendam ex hiſtoriis, aliquem talem ducatum fuiſſe in Ruſſia, quae ad morem aetatis anonymi, priori nomine amiſſo, Lodomeria ſubinde dicta fuiſſet;* niſi prius oſtenderit, Ruricum non tantum Ruſſiam Nigram et Albam, ſed etiam Rubram, ſeu Rutheniam, ditione ſua complexum fuiſſe: nec Miskinam, quem Dlugoſſus *Ruthenici generis ducem* appellat, *ducem Ruſſiae* fuiſſe, quod ille negat. *b)*

LXV. Non igitur *veruecinus doctor eſt anonymus*, vt illum aduerſarius pro ſua humanitate vocat, *c) qui ſupponit illum alium incerti nominis ducatum, ſubinde Lodomeriae nomine inſignitum, exſtitiſſe ſub aduentum Hungarorum.* Nec meum conſilium, quo, praeter Gebhardum, etiam Cruſium illi conſulendum ſuaſeram, *eſt veruecinum*, vt hic primus *humanitatis* profeſſor more ſuo cauillatur,

a) Ibid. p. 144. b) Ibid. p. 145. c) Ibid. p. 146.

tur, *a*) quem propterea ne quis *veruecum in patria craſſoque ſub aere natum* dicat, vereor. Nam, neque Cruſius ſine fontibus ſua depromit; nec vllus eſt, ex quo diſcere quis non poſſit. Cur igitur *veruecinum* conſilium meum dicitur, quum, ex quo proficere poſſit aduerſarius, ſuggero? Num illum diſcere porro pudet?

LXVI. Dum aduerſarius Bulgarorum regnum Tibiſco Granoque comprehenſum fuiſſe negauit, teſtimoniaque ſcriptorum in hanc rem promiſit; dixi, promiſſis illum non ſtetiſſe. Nec hic a veritate me latum vnguem diſceſſiſſe, reſponſum meum, ad eius praefationem datum, oſtendit. Certe iam vidimus, veteres hiſtoricos nec magnam Bohemiam, nec magnam Croatiam ad Tibiſcum vsque porrexiſſe, nec Suatoplugum dominatu ſuo Daciam, Tranſſiluaniae reſpondentem, complexum fuiſſe. Nihil igitur hic *ſolemni dolo tranſmiſi*, quod toties laudatus primus *humanitatis* profeſſor oggerit. *b*) Eadem humanitate mihi *fraudem* obiicit, cuius tamen nullum loco citato veſtigium appareat. Num autem *quaeſita mea p. 122. ad occultandum meum dolum pertineant*; *c*) an vox *omnes* ad infirmandam aduerſarii rationem addi debuerit; an *geſta Dagoberti* Bulgaros intra Tibiſcum et Danubium egiſſe, non innuerint; lectores optime decernent ex iis, quae locis citatis adfero. *Bulgaros*, inquit, *in Dacia egiſſe, exultabundus probas. Eſtne Dacia, bone geographe, intra Tibiſcum & Granum?* Nec eſt; nec eſſe dixi.

a) *Ibid. p.* 147. *b*) *Ibid. p.* 148. *c*) *Ibid. p.* 149.

ante Olegi tempora ſuſceptam, cum expeditione ea, quam Neſtor Olego tribuit. An et quomodo conſuderim, videamus. Neſtor Olego tribuit expeditionem Ruſſis glorioſam ac ingentem victoriam. Graeci meminerunt geminae Ruſſorum expeditionis, quarum vtraque Ruſſis ignominioſa, cum ingenti clade coniuncta fuit. Quum igitur ego Neſtorem Graecis contraria ſcribere dixi; quomodo poteram Oskaldi naualem expeditionem intelligere, quae quod infelix fuerit, Graecis contraria dici non potuit? Quicquid igitur aduerſarius de Rurico, Ruſſiae monarcha, diſſerit; id totum mihi merito ſuſpectum videri debet. Nec ille mihi neceſſitatem hanc imponere poteſt, *a) vt oſtendam ex hiſtoriis, aliquem talem ducatum fuiſſe in Ruſſia, quae ad morem aetatis anonymi, priori nomine anuſſo, Lodomeria ſubinde dicta fuiſſet;* niſi prius oſtenderit, Ruricum non tantum Ruſſiam Nigram et Albam, ſed etiam Rubram, ſeu Rutheniam, ditione ſua complexum fuiſſe: nec Miskinam, quem Dlugoſſus *Ruthenici generis ducem* appellat, *ducem Ruſſiae* fuiſſe, quod ille negat. *b)*

LXV. Non igitur *veruecinus doctor eſt anonymus*, vt illum aduerſarius pro ſua humanitate vocat, *c) qui ſupponit illum alium incerti nominis ducatum, ſubinde Lodomeriae nomine inſignitum, exſtitiſſe ſub aduentum Hungarorum.* Nec meum conſilium, quo, praeter Gebhardum, etiam Cruſium illi conſulendum ſuaſeram, *eſt veruecinum*, vt hic primus *humanitatis* profeſſor more ſuo cauillatur,

a) Ibid. p. 144. b) Ibid. p. 145. c) Ibid. p. 146.

tur, *a*) quem propterea ne quis *veruecum in patria craſſoque ſub aere natum* dicat, vereor. Nam, neque Cruſius ſine fontibus ſua depromit; nec vllus eſt, ex quo diſcere quis non poſſit. Cur igitur *veruecinum* conſilium meum dicitur, quum, ex quo proficere poſſit aduerſarius, ſuggero? Num illum diſcere porro pudet?

LXVI. Dum aduerſarius Bulgarorum regnum Tibiſco Granoque comprehenſum fuiſſe negauit, teſtimoniaque ſcriptorum in hanc rem promiſit; dixi, promiſſis illum non ſteriſſe. Nec hic a veritate me latum vnguem diſceſſiſſe, reſponſum meum, ad eius praefationem datum, oſtendit. Certe iam vidimus, veteres hiſtoricos nec magnam Bohemiam, nec magnam Croatiam ad Tibiſcum vsque porrexiſſe, nec Suatoplugum dominatu ſuo Daciam, Tranſſiluaniae reſpondentem, complexum fuiſſe. Nihil igitur hic *ſollemni dolo tranſmiſi*, quod toties laudatus primus *humanitatis* profeſſor oggerit. *b*) Eadem humanitate mihi *fraudem* obiicit, cuius tamen nullum loco citato veſtigium appareat. Num autem *quaeſita mea p. 122. ad occultandum meum dolum pertineant*; *c*) an vox *omnes* ad infirmandam aduerſarii rationem addi debuerit; an *geſta Dagoberti* Bulgaros intra Tibiſcum et Danubium egiſſe, non innuerint; lectores optime decernent ex iis, quae locis citatis adfero. *Bulgaros*, inquit, *in Dacia egiſſe, exultabundus probas. Eſtne Dacia, bone geographe, intra Tibiſcum & Granum?* Nec eſt; nec eſſe

 dixi.

a) *Ibid. p.* 147. *b*) *Ibid. p.* 148. *c*) *Ibid. p.* 149.

dixi. Daciam tamen illam, in qua Lucius Bulgaros Francis conterminos fuiſſe perhibet, vltra Tibiſcum fuiſſe, proinde Bulgaros vltra Tibiſcum habitaſſe, certiſſimum eſt.

LXVII. Iam anachroniſmum, a ſe commiſſum, quomodo ſaluet, videamus. Incipit, vt ſolet, a verbis contumelioſis. *Certum eſt*, inquit, *- me ibi nihil aliud, niſi verba tua retuliſſe, et ſcriptores, quorum verba, ne ſubleſta fides tua pateat, ſubticenda iudicaſti, recitaſſe.* Nihil me *ſubleſta fide* ſubticuiſſe, ſenſus, ex verbis laudatorum auctorum expreſſus, oſtendit. *Si in illis anachroniſmus continetur; ille tuus eſt, non meus.* Ita culpam ſuam in me reiicit. *a*) At in excitatis auctorum ſententiis nullus eſt anachroniſmus, ſed in ratiocinatione, quam ex iis aduerſarius elicuit. Qui dicit, Bulgaros expulſos circiter an. 628. Auares victos an. 791. anachroniſmum nullum committit. At, qui Bulgaros, qui venerunt ſub annum 666. iam pulſos dicit anno 630. non ego quidem *illum non eſſe integro cerebro* cum aduerſario dicam, ne fortaſſis illum ipſum tam crudo conuicio laedam; dicam tamen, illum per oſcitantiam anachroniſmum commiſiſſe. Nec tamen ille ſuum contra chronologiam peccatum agnoſcit; ſed mihi, quis non miretur? illud his verbis allinit: *Fingit*, inquit, *Bulgaros victos in Pannonia an. 791. qui vno ſeculo prius ex Pannonia ab Auaribus expulſi ſunt.* Quanta haec diſſimulatio veri! Quando Bulgari ſunt ab Auaribus expulſi? Fatetur aduer-

a) *Ibid. p. 150.*

uerſarius ipſe *circiter an.* 628. Quando noua rurſus colonia Bulgarorum inter Auares conſedit? Nicephorus et Theophanes id factum referunt *ſub annum* 666. Quis hos ab Auaribus pulſos fuiſſe perhibet? Nullus. Ergone hi, qui pulſi non ſunt, *vno ſeculo prius ex Pannonia ab Auaribus expulſi ſunt?* Et tamen, qui haec aſſerit, audet ſic inſultare: *Hem te chronologum eximium!* Ita quidem iſte, dum maximam cladem accipit, maximam ſibi victoriam occinit. Sed nempe *chronologiam ignoraſſe* me dicit, *a*) quod *in computu marcarum* calculum non bene duxerim. Etiamſi certo meus hic error eſſet; certe non eſſet error ille chronologicus, quo hic aduerſarius e ſeptem annis vicenos ſupputauit. Plures in mea hiſtoria calculos bene ductos legere potuiſſet, ſi mens non laeua fuiſſet. Sed argumentum iſtud, ab eo longe petitum, effugii vanitatem oſtendit. Nec vllam rationem idoneam ad ſaluandum alium anachroniſmum, a ſe commiſſum, inuenit, quem Anaſo fluuio hauſit. Quid igitur? an erraui, *cauſſam Bulgarorum cum Auaribus coniungendo:* quos, poſtquam anno 666. permiſtos Auaribus vidimus, ſeparatos deinde numquam vidimus?

LXVIII. Quum in ſignificatione vocis *auus* nimiam difficultatem expertus fuiſſet; his iterum conuiciis cultiſſimus hic Latinus reſpondet: *Iam alias monui, te, Latinitate Oſcum, Soaria ſoli deditum, ciuilem et cultam rhetoricam ignorare.* Videtur argumenti vim ſerio ſenſiſſe; quum *ictum*, *in*

a) *Ibid. p.* 151.

in ſe vibratum, non eſſe profectum a milite, in armorum exercitiis culto, ſed ab aliquo ruſtico tirone, cultarum artium ignaro, primus hic *humanitatis* profeſſor criminetur. *a*) Tum, quaſi defendendis etiam aliis par eſſet; RR. Ganotzii cauſſam tuendam ſuſcipit, et quidem ex rhetorica. Vix non - - ſed. — Vocem *auus* ab anonymo proprie non accipi, ſimilitudo vocum *proauus* et *atauus* oſtendit; non igitur, vt oggeritur, *b*) *deſerta meta, ſaltaui*, quum has voces commemoraui. Quum ego Salankemenium a *Salano* deriuaſſem; quod ille maluerit a voce Slauica *Zeleni kamen* illud deriuare; *Saxum illud Slauonicum* vocaui. Quid ad hoc decantatus primus *humanitatis* profeſſor? *Barbarum*, inquit, *eſt: non eſſet tui ingenii partus; niſi tale eſſet.* Nihil humanius dici potuit. Vt autem in catenis orbes orbibus impediuit; ita hic calumnias calumniis innexurus, *ad inſaniam*, inquit, *vsque debacharis.* Cur ita? Dixerat in ſitu Morau. p. 172. *Bulgaris adiungo Valachos, quos contra omnium veterum ſerſa hic noſter Tranſſiluaniae dominos ſub aduentum Hungarorum necquicquam facit.* Quia hanc ſententiam impune dimittere nolui; ſubieci: *Ex omnibus illis veteribus, qui negant, Valachos in Tranſſiluania ſub aduentum Hungarorum dominatos fuiſſe, ſaltem vnum debebas excitare.* Verum eſt, illum deinde dixiſſe. *Valachorum nomen ea tempeſtate ignotum fuiſſe orbi*; prius tamen aſſertum non Valachorum nomen, ſed dominatum in Tranſſiluania negauit. Hoc ille

non

a) *Ibid. p.* 152. *b*) *Ibid. p.* 153.

non ad ſanam criſim, ſed ad aucupia pertinere dicit, *a*) quaſi nihil inter nomen et dominatum interſit. Illud: *qui tacent, non negant*, a meo ſenſu porſus detorquet, quem ita mox expreſſi: *iam alias oſtendimus, etiam vni deferendum eſſe; ſi contraria veteribus non narret.* Licet igitur alii taceant, quod anonymus affirmat; quia tamen tacendo non negant; anonymo deferimus. Quare, quum ille *meo me gladio confoſſum eſſe* iactat; a meo ſcopo penitus aberrat. Si perſuadere voluit, anonymum *mentitum eſſe*; cur non oſtendit; quando Tranſſiluaniam Valachi fuerint ingreſſi, ne reipſa viderentur illic excreuiſſe, *veluti fungi*? Hac de re parum ille ſollicitus, quum innuiſſet, *ante Belae IV. tempora* Valachos in Tranſſiluania non habuiſſe; dicebam, illum *non videri vidiſſe vulgo notum Andreae II. decretum, Saxonibus A. C. 1224 datum, in quo mentio Blacorum idemtidem iniicitur.* Quid ad haec notus *humanitatis* profeſſor? *Tu quidem*, inquit, *b*) *quid homo in aurem Iouis dixerit, noſti. Sed hoc, vt pleraque, temerarium et imprudens tuum aſſertum eſſe, iam videbis.* Immo vero temerarium et imprudens aſſertum eſt, in Andreae II. decreto Valachorum in Tranſſiluania mentionem legiſſe; cenſere tamen, eos illic *ante Belae IV. tempora* non habuiſſe. Non fuit Andreas II. ante Belae IV. tempora? *Illud autem*, ſubiicit, *quod dicis*: in quo mentio Blacorum idemtidem iniicitur, *prorſum a vero abhorret. Vno ſolummodo loco, - fit mentio Blacorum. - Hoc proinde pri-*

a) *Ibid. p.* 154. *b*) *Ibid. p.* 155.

priuilegium, ab Andrea II. Saxonibus datum, vel ruam ignorantiam, vel malam fidem arguit. Conſulat lector laudatum decretum: et poſtquam ibi haec legerit: *Siluam Blacorum et Biſſenorum cum aquis, vſus communes exercendo, cum praedictis ſcilicet Blacis et Biſſenis -;* repetita mentio *Blacorum* vtrius *ignorantiam vel malam fidem* arguat, ex aequo iuſtoque decernat. Erroris ſui patrocinium quaerit in catalogo Valachorum principum, e Sultzero, Peyſonelo. Hiſne maior fides, quam Andreae decreto, habenda? Nonne, qui hoc diceret; *veruccinum conſilium* eidem, vt mihi prius, appingi poſſet?

LXIX. Non potuit hanc quaeſtionem finire, quin humaniſſime rurſus criminaretur, *a) me contra viri honeſti et veracis officium, ex meo ſolummodo cerebro, id illi affinxiſſe, quod Valachos Italorum colonos quondam fuiſſe negat.* Quorſum igitur argumenta ſpectant, quibus non tantum Romanos e Dacia per Aurelianum abductos, ſed etiam Daciam a Gothis, Hunnis, Gepidis, Sarmatis, Auaribus, MARAHENSIBVS, in vaſtam ſolitudinem verſam eſſe contenditur? Iam ſupra dixi, numquam me Daciam intra Tibiſcum et Granum collocaſſe; Si tamen Bulgari, teſte Lucio, trans Iſtrum in Dacia habitarunt; ad Tibiſcum certe, quo Dacia terminabatur, habitarunt. Nullum Conſtantini locum de Marahenſibus *ſubleſto ſilentio praeteriui*, quod mihi verbo tantum obiicitur. *b)* Croatarum ſubiectionem amicam fuiſſe, ceteras-

que

a) Ibid. p. 156. b) Ibid. p. 157.

que de his et Bulgaris difficultates aduerſarii diſſolutas in examine lector inueniet. De Macedonia, quia nihil praeter argumentum *negatiuum* adferebatur, quum illud anonymi teſtimonio conuellatur, nihil opus erat loqui. *Meas* igitur *et illius inanias*, quas aduerſarius vocat, *difflatas inaniter gloriatur*. Etſi vero non aſſeueret, *a*) *ſe teſtimoniis Turotzianis firmiſſimam fidem habere*; teſtem tamen illum adhibet, etiam quum de Suſdalia loquitur. Vidi certe, hic *nexum rerum poſtulaſſe*, vt etiam anonymi teſtimonium in pari cauſſa reciperetur. Non igitur ad vlla *figmenta* recurri; nec *peregrinus et hoſpes* in hiſtoria Ruſſorum ab humaniſſimo hoc viro poſſum *pro certo teneri*; ſi Susdaliae nomen illinc eruere non poſſim. Satis eſt mihi, patriae ſcriptores eius meminiſſe. Ad crudiora conuicia, quae porro ſequuntur, quia nullum argumentum, niſi vetulinum, complectuntur, non eſt, cur reſpondeam. Non me quicquam illius verbis, ſed illum meis aſſuiſſe; facile quiuis obſeruabit, quum apud illum; non apud me, *Vagi* mentionem legerit. *b*) Ita certe hic aduerſarius omnia miſcet, vt videri poſſit, vel ſibi praeſens non fuiſſe, vel id praeſeferre voluiſſe. Hungarorum pars, dum contra Luitpoldum iuit; non ad ſuos, ſed ad hoſtes iuit. At, dum ab Luitpoldo vinceretur, reditumque per Danubium moliretur; ad ſuos, in aduerſa ripa relictos, ire conabatur.

LXX.

a) *Ibid. p.* 158. *b*) *Ibid. p.* 159.

LXX. Poſtquam has ille tenebras vltro meis dictis offudiſſet; me *iam quaſi ab omni ratione defertum* exquiſita humanitate vocat. *Actum eſſe de veritate hiſtoriae*, proclamat, *a) ſi boni ſuperi generi humano diutius irati fuerint, et ſiuerint vnum aliquem mortalium in criticam meae ſimilem prolabi.* Virorum eruditorum, quos impotens animus in tranſuerſum non egit, aliud de mea critica iudicium eſſe, palam conſtat. Ex illa diſcere poterat, ſicut male fines archiepiſcopatus Pragenſis ad Vagum noſtrum extendit, ita male *terram, Vago Morauaque fluminibus interceptam*, ſe Hungaris eripuiſſe; male cum Bonfinio Poſonium S. Stephano nomine dotis attribuiſſe. Promiſi quidem, vt monet, *b) non me reſponſurum illi, niſi firmiora attulerit.* Reſpondi, non, quia firmiora hic attulit; ſed quia veritatem ita miris artibus inuoluit, vt incautos lectores in errorem inducere facile potuerit. Horum iudicium eſto, num *in prioribus refutandis frontem perdiderim;* num in his refellendis *cerebrum mihi comminuerim.* Iſte tamen, qui me toto hoc opere tam acerbis verbis perſtrinxit, vt omnis non tantum Chriſtianae legis, ſed etiam humanitatis oblitus fuiſſe videatur, in fine me monet, vt, ſi reſponderem, *humanitatis non obliuiscerer.* Optimo quidem iure hoc primus *humanitatis* profeſſor monet, qui non tantum verbo, ſed etiam exemplo humanitatem profiteri debet. At, poſtquam exemplum doctrinae non reſpondet; ruborem illi vel mentio humanita-

a) Ibid. p. 160. *b) Ibid. p.* 161.

ris excutere deberet. Voluit nempe noui ſyſte-
matis autor haberi; quod illi per meum examen
non licuit. Hinc illae ſeu lacrimae, ſeu furiae.
Vtinam Podalirius ille, cui ſuam valetudinem mo-
derandam commiſit, atram ex eo bilem melius
euexiſſet! Ego quidem, ne cum furente furere
viderer; numquam illum, ſed lectorem dumtaxat
alloquendum toto hoc opere cenſui, ſatis eſſe ra-
tus, quoties grauius in humanitatem peccauit,
titulum, quem gerit, *primi profeſſoris humanitatis*,
in memoriam illi reuocare. Non defuerunt, qui
mihi, reſponſum vt acerbius redderem, auctores
erant. Eorum vnus illud poſtremum illius in me
conuicium: *Voluiſti nempe ſeneſcenti prudentiae tuae*
monumentum quodpiam erigere: erexiſti; ſic imi-
tandum ac retorquendum ſuaſit. *Voluiſti nempe*
rudi craſſique hominis appellationem ab omnibus
infimis, mediis, infimis auferre, abſtuliſti. Ego
tamen malim illi, qui me toties amentem, inſa-
num, ſtultum appellauit, in memoriam illa reuo-
care, quae Chriſtus dicenti fratri ſuo: *fatue*, com-
minatus eſt. *Matth. V.* 22.

O. A. M. D. G.



HW 8VFT 3



EDI
HW 8VFT 3



EDI
HW 8VFT 3



HW 8VFT 3



HW 8VFT 3



EDI
HW 8VFT 3



HW 8VFT 3